Dionysius Lybicus [?]. De situ orbis habitabilis a Simone Lemnio [?] Poeta Laureato nuper Latinus factus. Venetiis 1545.

Cesario Ioannes Vicentinus. Brutinum, et Lucinium [?] liber secundus. Romae 1565.


Decrano [?] Augustinus [?]. ad Franciscum Venetum electum Venetiarum Ducem Carmen. Venetiis 1548.

Zucconi Christianus Vicentinus. Carmina. Vicentiae 1627.

Saga Antonio. Verona triumfale; cioè ristretto in compendio de fatti più notabili di Verona, e suo principio. Verona. 1642.

Poirier Ludovicus [?] S. J. Sulphure [?] Carmen. Parisiis 1752.

DIONYSIVS LYBICVS POETA DE SITV HABITABILIS ORBIS A SIMONE LEMNIO. POETA LAVREATO NVPER LATINVS FACTVS.



VENETIIS M. D. XLIII.

Cum gratia & priuilegio.



AD INCLYTISSIMVM ATQVE ILLVstrissimum Principem ac dominum dominum Herculem Estensem II. Ducem Ferrariēsem IIII. Simon Lemnius Rhetus Poeta laureatus.

O Decus Ausoniæ tantiq; supreme nepotum
Herculis, antiqua deductum gente parentum
Herculeum genus œnotriis dux inclyte regnis.
quę rigat ambusti quondam Phaetontis amœnum
Flumen ad Heliadum frondesq; comasq; sororum,
Et ueluti pelago circumsonat arua fluenti.
Fœlix Alciden patriis uirtutibus æquas.
Nec minus ingenio clarescis famaq; nomen
Herculeum gestat dudum cantata per oras.
Tu quoq; Pierias accedis cultus ad artes,
Ipse palatinus dictat tibi carmina phœbus.
Herculis his uirtus prisci superata recedit.
Maxime dux Latii, & magna dignissime laude.
Regnatorq; Padi, cui parent mœnia celsa,
Subditaq; imperio quæ circum rura coluntur.
Qua tuus Eridanus tam pinguia prata frequentat,
Atq; uireta suo fluctu Bacheia radit.
Fœtiferosq; secans agros camposq; per omnes
Inde ruens salsum tandem decurrit in æquor.
O Italæ princeps celebrata potentia terrę,
Ausonidumq; Ducum non ultima gloria, sacris
Præsidium musis, & candida fama camenis.
Si uacat in tanto tantarum pondere rerum
Maiestasq; locum concedit uestra poetis.

Aſpice telluris formam populosq; per orbem.
Quæq; dedi placido mea carmina ſuſcipe uultu.
Da mihi te facilem dederisq; in lumina uires,
Inq; tuas laudes ſudabit gloria muſæ.
Quamlibet & grauior maieſtas carminis orſus
Vi luceſcentis nimia ſplendoris obumbrat.
Attamen ipſa micat muſarum fama parumper.
Ceu lunam ſolemq; inter quoq; ſydera lucent.
Scyntillasq; ſuas ſuffundunt æthere phœbe.
Tempora nulla tua certabunt laude regentis
Et populos urbesq; ſui iam principis acta
Laudantes pariterq; ultro tua iura tenentes.
Et Phaetonteas ſeruant tibi fortiter arces
Virgo Aſtræa manus gladio munita, ſed ipſa
Parte alia fœlix reſidens clementia tecum,
Et cum iuſtitia uario prudentia caſu
Peruigil & nunquam deſes, intentaq; rebus
Aſſidue tecum retinens palatia celſa.
Virtutumq; chorus ueſtram comitatus in arcem
Imponens nitidam tibi iam de fronde coronam.
En urbes Atheſisq; inter Phaetontis & undas
Exultant fama per te ſtudiisq; mineruę.
Candidiorq; ſacris renitet Ferraria Muſis.
Andreasq; tuus toto clareſcit in orbe,
Romanumq; forum reuehit, legesq; tuetur.
O decus Andrea & gentis ſua fama togatæ,
Gloria Pieridum, Graiæ ſpes unica linguæ.
Laude fori ſalue non conceſſure quirinis,
Arpinæq; decus non conceſſure papyro.
Eloquii latiis uerbis tibi flumina manant.

Ingenioq́; tuo est ætas superata minorum.
Hoc decus Italię prebes mitissime Princeps.
Pallados Ausoniam per te doctrina Mineruæ
Illustrat celebrem, Phœbusq́; nouemq́; sorores
Deseruere iugum sedesq́; Aganippidos undæ,
Italicasq́; colunt tanto sub Principe terras.
Magnifico q́; geris titulos arcesq́; gubernas.
Tota tibi certat regio de laude fauoris,
Atq; thronos celsos, & doctas suspicit oras.
Præside te fœlix permessidos unda mouebit
Pierios cantus, totumq́; Helicona ciebit.
Vt fluat in laudes Phocęus principis amnis.
Sub te iam melius rursus musęa uirescunt,
In Latium ueniunt duce te de fonte Medusæ
Pierides musę, modo tu ne desine cultor
Esse, mihi aspires, nam uos coluistis & illas,
Quas canimus musas, audacibus annue ceptis.
Accipe Pieria nascentem laude poetam,
Atq; iugis patrię longo post tempore uatem.
Aoniosq́; mihi duce te concede liquores.
Sit phas thespiadum tandem te principe sacra
Pandere, cumq́; tuo titulo uolitare per oras,
Et latias sedes fama repplere recenti.
Lemnius Astræa cognoscet uirgine terras,
Pieriaq́; uia musisq́; uagabitur orbe.
Ardua & exiguo nimium sublimia uersu.
Tentabitq́; humeris seu quæ Tityntius astra,
Seu gessit quondam multo pręstantior Atlas.
Illis hæret opus nostrum, firmataq́; uentis
Quę fuso circum retinetur ab aere tellus.

Si par forsan ero tanto minus ipse labori.
Conscendat senior stellantibus æthera signis.
Nec semper tenuit ruituro pondere cœlum
Alcides, simili quanquam ceruice subibat,
Sed donec paulum saltem requiesceret Atlas,
Machina quo melius mundi librata pependit.
Obstupuit celsi spectator ponderis Atlas,
Obstupeat pariter gestantes pondera musas.
Miretur q; simul uiolator rupe Pyreneus.
Zoilus ingenium miretur Zoilus artes.
Intrabit q; nouus parnassia culmina rumor.
Ibunt & mecum spectantibus orbe poetis
Pierides Musæ Parnassi sydera cliuis
Cernentes, stimulos q; mihi sub pectore condent.
Stelliferas sedes elementa q; prima sub orbe,
Aerias q; globi metas primordia mundi,
Congeriem q; poli cœlum q; sub orbibus Axis,
Æthereas q; uias solis cursus q; Dianæ
Cedo libens aliis, rerum non mota canemus
Principia & stabiles terras immobilis orbem
Pensile onus sortis medio q; sub æthere campos,
Ponderis & magni quæ pendet in aere tellus.
Æquora q; oceani diuersis concita uentis.
Quis terræ modus, & terræ quæ forma feratur.
An sit & immenso tellus finita sub orbe,
Quanta q; non æquis spatiis concesserit undis.
Quanta sub occiduum solem seu tendat Eoum;
Siue Lycaonias quantum se tollat ad ursas,
Et pluuios iterum uersus se porrigat Austros.
Quę noua quæ ueterum perstent exordia rerum.

Quanta sit ingeniis laus inde reperta superbis.
Quid distent ueteres, quae sit noua Pallas in aruis
Terrarum, qua se nuper quoq; mole fatiget.
Hinc canere incipiam uos uos Libetrides undae,
Vos iuga Parnassi, phoebi uos phocidos amnes.
Vos Iouis Aonides mecum properate puellae,
Quae colitis fontes pariter parnassidos orae
Mnemosynes soboles dentissima numina Musae.
Pieriae redeunt uestri si muneris artes,
Arduaq; inuentis adeo quaesiuit Apollo.
Et uos Naiades Nymphaeq; per aequora cana
Ferte simul Dryadesq; pedem uiridesq; Napaeae,
Munera uestra cano. Tuq; ò coelestis origo
Vrania, & musis coeli sublimior axe,
Cui deus & stellas & sydera iussit adire;
Astriferosq; globos, & quaerere syderis ortus,
Diuersasq; rotas, & summa uolumina coeli,
Quod tegit & terras circum camposq; liquentes,
Aeriosq; situs & flammas undiq; cinctas,
Quas densum circo pariter super aera flauas
Ambiit aeternum phoebe concessa moueri.
Et liquidas nubes spissas Aquilonis & auras.
Mensuras terrae numeroq; carentis arenae,
Ipsa mihi memora nec nostros desere cursus.
Tuq; adeo interpres diuum Cyllenia proles
Pande mihi uoces Graias sensusq; moueto.
Adsis ò Pataree fauens artisq; Minerua
Inuentrix & res pariter uersusq; docete,
Ducite per rerum causas elementaq; mundi.
Vt mihi fama gerat cantatae nomina terrae.

Deq; quibus pendet tellus æquata figuris,
Et quæ fine carent consistant æquora meta,
Et spatiis Cœli totum deprensa per orbem
Ardua se uersu res tollat Apollinis alto.
Tu modo tu faueas Princeps dignissime musis,
Ingredere o mecum, nostras conare camenas
Euehere & laudem nostris meruisse libellis.
Sic tua perpetui mirentur sceptra nepotes,
Atq; diu uatis gestent tua nomina chartę.
Dicite Pierides iam tandem dicite musæ.
Defessi toto tibi nuper ab orbe redimus.
Puppibus & longas tranauimus æquoris undas.
Oceaniq; diu ratibus sulcauimus arua
Findentes salsos concreti gurgitis æstus.
Eoiq; maris fluctus Gangetidos oræ
Attigimus gelido nantes Aquilonis ab axe.
Inde per Indorum campos & littora curua
Iuimus & medio spumantia mœnia fluxu
Vidimus, ac liquidas surgentia tecta per undas.
Post quoq; Erythræas pedibus calcamus arenas,
Et pelagi madida furiosis puppe procellis
Currimus Æthiopum delati Prassode celsa,
Barbaricoq; sinu uariisq; erroribus acti
Hesperii Oceani remos lentamus in undis.
Herculeumq; fretum, Sardoaq; littora ponto,
Hinc Lybicas iterum Siculasq; accessimus oras.
Hic ubi dirripuit naues Zanclea Charybdis
Dum seuit circum latrantibus inguina formis
Scylla canum, subito petimus Sirenidas ipsas,
Mox fugimus scopulos pelagi, ferimurq; procella

Littus ad undosum sinuosa per ęquora Circes
Læstrigonumque domos, & præter labimur arua
Antiphatę quondam lacero crudelis Vlyssi.
Dulichia prius hinc nos uix enanimus arte,
Adriacique datas spumas salis ære ruentes,
Loniumque uadum sporadesque per æquora canas
Linquimus angustę iactati fluctibus Helles.
Prouehimurque salo, claraque Propontidis unda,
Cyaneasque inter traiecimus æquora rupes,
Cimmeriique freti cursus Asiasque palludes;
Euxiniq; uias, & inhospita littora ponti.
Caspiadumque sinus uarios & Persidos æstum
Emensi fluuios Tygrisq; Lyciique & Araxis
Eufrateq; procul raucas superauimus undas.
Tum quoque mirati septemplicis hostia Nili,
Delatique uadis cunctas peragrauimus oras,
Et populos, urbesq; simul camposque patentes.
Tandem defessi notis succedimus aruis.
Nec tantum secuit maris ærumnosus Vlysses,
Herculeusq; labor tantum telluris obiuit.
Ismeniq; pater Nyssæa laude triumphi
Liber agens sænas celso de uertice Tigres.
Pellæiq; ducis uirtus dominata per orbem.
Atridæq; rates & clarus nauta Canopus.
Et quæ fertur opum uertisse Semiramis urbes.
Quique canum iacuit laceranda rapina per agros,
quamuis sacra Tagi tranauerit hostia puppi,
Lotophagumque domos sotiis intrarit Vlisses.
Æquoreasq; deas & pectora blanda Calypsus
Insolito fœlix tentarit amore puellæ,

Et tamen Athlantis iuxta plorauerit undas,
Pulsus & ad sęuos se iunctos orbe Britannos,
Et glatiale salum,& concretas frigore lymphas
Germanasq; casas,& adiuerit arua relicta:
quid tibi Cimmerios referam, fluctusq; Charybdis,
Quid Ciconas tibi quid Scyllasq; ferosq; Cyclopas.
quamlibet & celebris Nemaei fama leonis
Extremo posuit cantatas orbe columnas.
Atq Saces laudant cum seribus Herculis aras.
Cadmeiusq; nepos uictum Gangeta choraeas,
Et Thyasos iussit mollesq; inducere Thyrsos
Ismeni uictor celebratus ab usq; fluentis.
Tantalidesq; nigros puppi concessit Erembos,
More ferae nudi degunt qui rupibus altis,
Et Meroen,Blemiosq; uiros,qui pectore uultus
Horrendum dictu saeui sine uertice gestant,
Thebaicas & opes,& Nili diuitis aurum
Legit,ubi tenuit Tyndaridos oscula Nymphae.
Atq; Semiramidos famam gestauit Hydaspes,
Floribus aspergit diues quoq Sugdias aras.
Viderit Hispanas Lybicasq; Philippicus oras
Mars,bello pariter fuscos penetrauerit Indos.
Terrueritq; Lycum Tygrimq;,& Cyrus Oaxem,
Caspiacasq; domos,& diros Marte Tapuros,
quadrupedumq; fero gaudentes sanguine gentes
Massagetum,rursus tam longis uersus arenis
Persidos ipse prius domuit Pactolon & Hermum
Deuictis Medis Persarum Marte potenti.
Nec tantas unq̃ calcauit Caesar arenas,
Nec latium foelix adeo pręstantibus oris,

Quanquam terrarum circumtulit arma per orbem,
Cumq; suæ Romę sonuit uictoria pennis.
Nec tantum Teuton nec iam Solymannus habebit,
Siue Sophos persis, seu nigris presbyter armis.
Nec qui Rex regum extremis iactatur in agris,
Nec matutinis populis Calecutius Heros.
Nec qui Niliacis quondam Soldanus in aruis.
Nec qui nunc genti Cęsar dominatur Iberę
Carolus occiduo quintus regnator in orbe.
Magnificiue Heneti seu Celtica Lilia regis.
quantum iam breuibus calamis mea musa cucurrit,
Et Dionysæa musa se miscuit alta
Ausa sequi ueteris pariter uestigia uatis.
quanquam non æquis adeo tibi passibus intret,
Ipsa uias tamen est priscas imitata poetæ.
Sensus inest idem uariantur uerba parumper,
Nec deerit nostris fulgor nec gratia chartis.
Spargeturq; meum Dionysi nomine nomen,
Nostraq; Thespiades implebit fama puellas.
Excellat Lybicus longe præstantior author,
Est aliquid latiis legitur quod uersibus ille.
Si poteram ueterum satis est candore probari.
Vtq; sit haud facilis locus hac in sorte supremus.
Attamen & longe mihi laus erit esse sequutum.
Vltima concedunt etiam uestigia palmam.
Si sua stant Sili Musæ quoque præmia uatis,
Et laus Emathios sequitur modo debita campos.
Et decus & latios miratur fama cothurnos.
Parpetuoq; suum iactat Verona Catullum.
Vt non hi doctum non æquet & ille Maronem,

Nulla Sophocleos superent ut scripta labores.
Vincant Nasonis liceat cum carm ne lanæ,
Phryxeum tamen it Flaccus ductu‹s› ouile.
Lasciua coluit si Iulius arte Catullum.
Est si Roma iocos mirata & Bilbilis ora.
quis spernat nostras musas grauiora canentes
Tu modo Phebeias lauros mihi candide princeps
Concedas, nobis nec sit mea charta rubori,
Nec meritis unquam pigeat certasse camenis.
Mæoniisq; faue musis, nos carbasa uentis
Et dabimus puppem zephyri uelocibus auris.
Aonides famæ laudumq; cupidine flammant
Pectora, Castalias accedat Lemnius artes.
Spargat odoriferis musarum floribus aras,
Pægaseæq; simul certet de laude coronæ
Tuq; adeo aspires nobis doctissime Princeps
Musarumq; decus cultorq; Medusidos undæ.
Inuidiam uincant claræ Tritonidos artes.
Perpetuam hic laudem pariter nomenq; sequere.
Quod si fama suis etiam manet una Poetis,
Nunquam carminibus nostris indictus abibis.
qui coleret musas totoq; Helicone canentem
Præcipue inuentus Latio mihi maxime Princeps.
Tu quoq; Mecenas pars nostri carminis ibis,
At non indecoris laurus sed uoce merentis.
Magna quidem res est ueteres ornasse Poetas,
Et Graiis pariter uersus fecisse latinos.
Hunc Heleconiades Apio decorare puellæ,
Laurigerasq; comas musæ calamosq; dedere,
Versibus ut totum sacris depingeret orbem.

Quis resonant urbes fluuiiq́; & stagna lacusq́;,
Et populi syluæq́; simul saltusq́; nemusq́;,
Ruraq́; cum campis, & certis finibus arua,
Terrarumq́; situs & celsæ terminus undæ,
Oceaniq́; sinus atq; æstus æquora circum.
Hæc tibi Pieria cecinit Dionysius arte,
Mirandaq́; adeo pondus ceruice subiuit.
Quod bene uix ferret Getulus signifer Atlas,
Alcidesue poli subducta mole parumper
Astriferis humeris Lybicis attolleret oris.
Cedite uos Latii, Graii uos cedite uates,
Hammonio Phœbi debentur serta poetæ.
Vnus Parnassi sacris nutritus in antris
Hic inter flores hic Hippocrenidas undas,
Musarumq́; melos syluis eductus in altis
Thespiadum carmen solus deduxit in astra.
Vnde globum terræ dimensus & æquoris arua,
Innumerę statuit foret ut quoq; finis arenæ,
Oceaniq́; sua meta consisteret unda,
Vtq́; orbis terrę positus tibi terminus esset:
Neu foret obscurum quæ gens habitaret ubiq;,
Quis fluuii liquidi, uel quis foret accola montis,
Quis medio terræ sedes, quis & ęquora iuxta,
Aut maris arctatis circum posuisset in undis.
Aut quis & Hesperias terras & haberet eoas,
Sicubi forte nouis inuentis discrepet ille.
Siue aliter forsan Ptolomeus adiuerit orbem,
Siue mari potius terræ finiuerit oras,
Seu sit limitibus flauæ non æquus arenæ.
Ipse scias illum ueterum mansisse sub ausis,

Posterior Nili de gente Canopicus ortus
Scriptor erat, prior hic fortis Dionysius hastas
Viderat Augusti Parthos uicisse feroces.
Sic locat Assyriam prope Thermodontos arenas,
Hic ubi Amazonidum fluuii canit hostia celsas.
Post Chalybes inquit iuxta procurrit arenis
Assyriæ tractus. Cum Tigris terminet illam.
Sed Prisci Assyriæ Syriam cognomine dicunt.
Sic poterit Syriæ limes contingere terram,
Thermodoonteis fluuius qua uoluitur undis.
Ast inter Medos & flumen Tigridis alti
Iunior Assyriam posuit Ptolomæus in arte.
Alterius Syriç deducit ad usq; Sinopen
Hic senior longo cursu Dionysius arua.
Cappadocas mediis campis, gremioq; locauit,
Assyrios uero populos hic æquora iuxta
Littus Amazonidum prope Thermodōtis & undas.
Quod uero retulit terram non esse rotundam,
Sed similem fundæ, medio quod latior extet,
Extremas circum quoq; longior exeat oras.
Non adeo totam terram sic concipit ille,
Quæ ueluti perhibent, qui cœli sydera norunt,
qua patet, hac offert omni se parte globosa.
Sed quę sit forsan melius deprensa per orbem,
Tum cum Pierio suscepit pondera uersu
Ad sua perpetuum deducens tempora carmen.
Quatenus & Prisco fuit hæc habitabilis orbe,
qua tendit sese longa cuneata figura,
Et Zephyros uersus & uentos uersus Eoos,
Occiduç Gades, & Gangis flumen Eoum.

Totius ueterum fuerat tum terminus orbis.
Nunc etiam inuentis rerum superata uetustas.
Et nouus oceani mediis consurgit in undis
Orbis ab occiduis nitido manantis arenis
Fonte Tagi,cuius iacet extra sydera tellus,
Americæ nuper clarescit nomine fama,
Bis quater illa gradus denos extenditur oris,
qua se longa situ propriis metitur & aruis.
quam uix uesputius,uix longa puppe Columbus
Reperit,& terram lustrauit littora circum,
Et quę nulla fuit quondam Isabella per undas,
Hesperiiq; situ ponti Spagnola recenti.
Quin & Hyperborei uenit super ardua montis
Audax inuentrix nostri tibi temporis ætas,
Regnaq; tuta diu priscisq; incognita uidit,
Mœniaq;,& populos,obscuraq; flumina quondam.
Horret ubi niuea glatie durata Gothorum
Terra,Lycaonias nimium quæ surgit ad ursas.
Vnde uenit Titan ultra Gangetidas oras,
Quæ quondam Sinarum regio fuit ultima priscis,
Maxima pars Asiæ terris se iactat Eois,
quas tacuit ueterum scriptis ignara Papyrus.
Nec sedes ullas,fluuios nec credidit ultra
Esse,sed hic finem cuncti sibi fecerat orbis.
Iam noua sceptra gerunt Regesq; ducesq; Catai,
Regnaq; iam populi nuper sibi celsa Charain
Extollunt,quæ fine latent dominata per arua.
quid Mangos referam,quid gentes solis Eoi.
Et matutino quę cingitur India fluctu
Altior,& pluuios quæ se protendit ad austros.

Extra eoa patens medio iacet Insula ponto
Magna minorq; maris quæ iungitur æquore Iaua
Extremasq; ultra terras secat unda Zypangri.
Ausa etiam Æthiopum terras lustrare carinis
Turba Tagi, & salsis confisus Portugal undis,
Hesperiosq; sinus auris intrare secundis,
Et supra Æthiopas, supraq; Menuthida celsam
Quærere nigrantes populos, obscuraq; fama
Nomina terrarum Phœbeis cognita flammis,
Æthiopasq; alios, & capri subdita stellis
Flataq; sub uentis procul hinc australibus arua.
Antipodasq; noti spectantes lumina circum,
Arcanumq; polum nostroq; incognita uisu
Sydera sub pedibus stygioq; micantia regi.
Caspia non gelidis stant marmora iuncta procellis,
Prassia Cattigerę non amplius æquora rupes
Continua sectas ponti tellure per undas
Iungit, ut antiquis quondam male prodidit error.
Ætatis melior dedit experientia nostræ,
Quæ Cœli medio consistit in aere, terram.
Hæc cecini breuius forsan maiora daturus,
Si mihi si fuerint palatia plena fauoris.
Mitia si nostræ tu feceris otia musæ.
Candide regnator Latii gentisq; togatæ,
Cui paret doctis celebris Ferraria musis,
Subditaq; imperio regitur Phaetondidos undæ
Vbere non aruis tellus cessura latinis.
Vatis Cumææ Dii dent & Nestoris annos,
Di regimen fœlix tibi dent cursusq; secundos,
Diq; diu fatiant urbes populosq; gubernes.

Dionysii

DIONYSII LYBICI DESCRIPTIO

Orbis habitabilis, A S. Lemnio Rheto nuper translata.

PRincipio terras & aquosi littora ponti,
Et fluuios populosq; canam, & cum manibus urbes,
Mox etiam oceani fluctus atq; æquora circum.
Tota uelut magno tellus iacet insula ponto.
Ambitæq; sinus circundant littora terræ.
Illa sed immensa est mediis super æquoris undis.
Aethere qua pendet pariter circumfluus humor.
Orbis ubiq; sui non est tamen ambitus illi,
Sicubi inaccessas tellus quoq; præbet arenas.
Quaq; patet Phœbi siccis uia torrida flammis,
Parte sui magis hac tenuis se reddit acutam.
Tota nec ipsa quidem est circum circaq; rotunda.
Versus iter solis tendens arctatur utrinq;.
Et similis fundæ media protenditur unda.
Sit licet una, tamen ternis dant partibus unam.
Primaq; arenosis nimium sitit Aphrica campis.
Post Asia, & gelidas Europa madescit ad arctos.
Europam à Lybicis limes qui separat oris
Tendit in obliquum ductus sub tramite curuo
Occiduæ Gades, Pharii simul ostia Nili.
Qua Pelusiacas septeno gurgite ripas
Atterit, & pelago fluuius premit arua sonanti,
Donec in æquoreis defessus mergitur undis.
Qua patet Aegypti postremus ab ore recessus.
Niliacusq; suo confunditur æquore fluctus,
Laudat Amyclei templum quoq; fama Canopi.

Europa hinc Asia Tanai disiungitur amni.
Qui per Sarmaticas fugiens delabitur oras,
Irrigat & Scyticos resonanti flumine campos,
Diuisoq; petit tunc ore Mœotidos æquor.
Alta Lycaoniis loquitur quem fama sub ursis,
Ad boream Tanais, sed & Hellespontus ad austros
Diuidit, & medio consistit in æquore limes.
At procul extremus se tendit ad ostia Nili
Terminus, & propius calidum declinat in axem.
Sunt quoq; qui terrę disiungunt limite partes.
Vltimus est orę protensus & Asidos isthmus.
Alluit Euxinus sinus hinc, sed Caspius illinc.
Europæ atq; Asiæ finem dixere priores.
Qua Phasis fluctus, qua fluctus uoluit Araxes.
Rursus ab Arrabiæ fœlicis, & Isidos undis.
Longior est isthmus sed magnę terminus oræ,
Qui dirimit Lybicos agros Asiatide terra.
Hæc de limitibus ueterum docuere camenę.
Qualibet oceanus undarum mole perennis.
Labitur & fluctus semper sequiturq; fugitq;.
Hac illac rapitur fluitantis & æquoris unda.
Et maria oceani magnas obeuntia terras.
Qui licet est unus uario sed nomine lætus
Multarum decus & titulos hic iactat aquarum.
Namq; sub occiduo qua littora sole tepescunt,
Et loca quę Zephyris agitantur proxima uentis,
Alluit Oceanus tepidis Atlanticus undis.
Qua superas niuibus Scythias septemq; triones
Inuasit Boreas, ubi sæuis horrida campis,
Et gens Marte furens Arimaspi bellica pubes.

Dicitur esse fero concretus frigore pontus.
Qua gelidas Algor reddit Saturnius undas;
Mortuus hic glatiale liquor quoq; dicitur æquor.
Quippe auersus equos scyticis sol tendit ab aruis,
Tardius istius lucescit & æquoris oræ,
Nubibus Assiduis densoq; sub aere Phœbus
Conditur umbrarum tenebris archatus iniquis.
Vnde diem primum reuehit mortalibus agris,
Indicus oceanus fluctu feruescit eoo.
Et mare Erythræis prope rubrum funditur undis.
Aethiopumq; sinus circumfluit arua sub austris.
Hic deserta iacent, & non habitabilis orbis
Planities siccis nunq̃ non arida glebis,
Vstaq; sub calidis ardescunt solibus arua.
Sic totam oceanus circumdedit undiq; terram.
Tot populos arcens tot circum littora gentes.
Tot pariter uario sortitur nomina fluctu.
Inde sinus ductos eructat in ęquoris undas,
Qui maris immensi tum parte feruntur utraq;.
Exigui plures quatuor sed gurgite magno.
Diuersaq; rigant madidos aspergine portus.
Primus ab Hesperiis infunditur ęquoris alueis,
Qui Lybicis actus Pamphylidos alluit oras.
Deinde alius qui Sarmaticis infusus arenis.
Et reliquos inter fama supereminet omnes,
Non longo scyticos ambit licet æquore campos.
Hic fertur ualidis Boreæ super arua procellis
Sparsus ab arctoo concretis frigore lymphis.
Hoc sinus excelsis demissum fluctibus æquor
Caspius admittit fluuioq; superbit aquarum.

Huic maris Hircani nomen fecere poetæ.
Tum duo de Lybica decurrunt æquora meta.
qua sol flagrantes medius transcendit ad axes.
quorum alter tamen inferior sublimior alter
Persica compulsus spumescit littora circum
Caspius aduersus super hunc circumfluit humor,
Arrabicusq; sinus resonans prope perfidas undas,
Longius ad pluuios tamen ille refunditur austros.
Longius Euxini tendunt uada liuida ponti,
qua nimium sæuis boreas circumstrepit armis.
Hęc adeo mediis clauduntur & æquora terris
Et maiore natant circum sua littora motu.
Quin his plura breues arcent angusta meatus.
Iam maris Hesperii fluxus tractusq; recuruos,
Occiduumq; canam sub amaro gurgite littus.
qui finibus curuis fluitat pelagoq; reflexo
Diuersas liquidis oras interluit undis.
Hic uirides circum delabitur ęquore terras,
Illic radices montis proiectaq; saxa
Radit,& æquoreas collectim proiicit algas.
Mœniaq; undosus interdum præfluit alta,
Vnde procellosa spumant aspergine cautes.
Vos mare difficilesq; uias mihi dicite musæ
Dicite carminibus; gaudetis carmine musæ.
Principio hesperiis freta dicite concita uentis.
Splendida surgentes ubi lambunt astra columnæ,
Et postrema ducis porrecta est Herculis ora.
Dorica ad extremas hęc stant miracula Gades.
Atlantisq; meant super æthera uertice celso.
Aeneus hic etiam nubes superare colossus

Contendit, pariter caput inter sydera condit.
Hic sinus est primum subeuntis Ibericus undę,
Qui tenet Europæ uix littora prima sequutus.
Incipit hic etiam Lybiæ contraria tellus.
Quas inter medius sinus influit ęquore curuo.
Hinc atq; hinc cœlo surgit porrecta columna.
Hæc Europęas sic illa lybistidas oras
Spectat, & ambarum latus arcet utrunq; metallis.
Excipit ęquorea sinus hunc prope Celticus unda,
Candida Massyliæ spernunt ubi mœnia fluctus,
Et tutum nautis tellus facit hospita portum.
Dehinc aqua confundit uicina Lygistias ęquor.
Hic Itali pingues exercent uomere campos,
Atq; premunt cultas lętæ telluris arenas.
Ausonii fortes clarum genus ab Ioue summo.
Maxima gens bello semper dominatur, & armis
Diuersas magni terras circumsonat orbis.
Ausoniæ tellus boreali exordia uento
Sumit, & ad Zancles isthmo protenditur undas.
Candida Trinacrias rident ubi saxa procellas
Saxa freto siculo nunquam concessa moueri,
Corsica dehinc salsos moto capit æquore fluctus,
Hunc super inde sinus Sardous amarior unda
Rauca sonans altos Tyrsenidos implicat æstus.
Versus aquas Austri Thyrhenum labitur æquor,
Sed matutino solis rutilantis ab ortu
Pręrupto siculum incumbens mare fluctuat ęstu,
Littoraq; undosi premit inferiora pachyni.
Porrigiturq; sinu, qua currit in æquora rupes
Cressa salis tumida dans murmur adesa sub unda.

Et qua Gortynæ surgunt & mœnia Phæsti,
Illa solo sacro cliuis hæc condita celsis.
Lanigeræ pecudis referunt in uertice frontem,
Arietis hæc igitur dixere cacumina Graii.
Atq; sinus Calabri petit hinc & Iapygos oras
Adrias emisso fluxu qua panditur unda
Et boream uersus defertur flamine uenti,
Inde sub occiduos refluit porrecta recessus,
Ionios fluctus hunc dicit & accola pontum.
Porrigit & binas circum sua littora terras.
Ad latus ingresso dextrum patet illyris ora
Dalmatici super hanc agri campiq; iacentes.
Quos arat insani bello gens feruida martis.
A lęua Ausonidum uastus protenditur isthmus,
Qui latus effuse spargens excurrit utrunq;
Hinc atq; hinc ternis circumfluus amphitritis
Adriados, Siculæ, & Thyrsenidos æquore salso.
Quodlibet aduerso recipit conamine flatus,
Tyrrhenum Zephyros, Euros amat Adria uentos,
Sicanum pluuiis semper iactatur ab austris.
Hic supra Siculas feruescunt æquora terras
Concita per littus Lybiæ sirtesq; malignas.
Altera plus calidum diffusa liquescit ad eurum,
Altera arenoso se continet arcta meatu,
Interiorq; notos pelago petit & fugit Euros,
Excipit & longe uenientes ęquore fluctus,
Hei mihi quo gemitu reboant sub gurgite syrtes,
Montibus è siculis Cretę deuoluitur ęstus,
Et procul auroram uersus Nabathęaq; regna
Spumiferam usq; fluens pelago Salmonida rupem,

Solis equos Cretæ mons hic prospectat eoos.
Bina etiam ulterius horrescunt ęquora uentis
Ismarici Boreæ furiosis flatibus acta,
Cuius descendunt recto spiramina tractu.
Illa sed oppositæ spumescunt marginis unda.
Tum pharia a nautis dicuntur & æquora prima
Porrecta ad Casii postrema cacumina montis,
Altera sidonias torquent ad littus arenas
Per nitidę terrę curuos infusa recessus.
Frugiferasq; abeunt Cilicum pulsata sub oras.
Vrbis & hinc Issi labens prope mœnia celsa
Issicus ipse sinus gelidas Aquilonis ad auras
Vergit in immensum fluctu curuoq; meatu.
Nam prope iam Cilicum tenebroso limite terræ
Cessat,ubi torto flexu demittitur æquor,
Irrigat & salsum maris hic aspergine littus,
Qua Zephyri molles & spirant leniter auræ.
Ceu draco curuato maiora uolumina tergo
Serpit,& ardentes oculos & lumina toruus
Sanguinolenta pedem lento facit agmine serpens.
Quo ueniente simul montes tum mole premuntur.
Sic quoq; curua sinus torquetur in æquora fusus.
Hinc atq; hinc fessas onerosa fluenta sub undas
Accipit immittens uicinis hostia campis.
Huius & obiectum Pamphylius accola circum
Rura colit,contra patrio iacet insula fluctu
Tensa Chelidoniis extrema sub æquora pratis.
Vltimus ad Zephyros procul hinc procurrit amœnos
Terminus,& longe signat Patareida rupem.
Inde plagas uersus gelidas septemq; triones

Aſpice quàm latus ſimul hic Aegeus inundet
Pontus,& obiectæ diuiſum margine terræ
Rumpat aquas Sporadum reſonanti murmure littus.
Tales nulla quidem tam commouet alta procellas
Vnda maris tanto ſonitu fluctuq; ſtrepenti.
Vltimus ad Tenedon producitur æquore limes,
Hic ſinus immenſas Aegeus terminat undas.
Altera pars maris hinc fluctu premit imbron aquoſam.
Vnde fretum reſonans anguſto labitur ore,
Totius eſt intra ſpumoſa propontidis arua
Qua boream ſpectat, ſuper hanc immania gentes
Rura tenent Aſię Lybicos porrecta ſub auſtros.
Amplus ubi uiridis terræ prętenditur iſthmus.
Poſt hanc Threitiis feruescit boſphorus undis,
Arctaq; uentoſis hic porrigit oſtia uelis.
Hoc innare fretum iuſſu Iunonis iniquæ
Bucula ſuſtinuit quondam quoq; flebilis Ino.
Quo non ulla fretum circumfluit arctius unda,
Illa ſonat magnæ terræ quacunq; per oras.
Aſpera Cyaneas ubi fama per æquora petras
Errantes circum ſæuo cum murmure fluctus
In ſeſe ferri, ſpumareq; ſaxa per altum.
Ex hoc immiſſus ſpatioſo gurgite pontus
Rauca ſonans tumido fluctu prope tendit aquarum
Auroram uerſus roſei quoq; ſolis ad ortus.
Cuius in obliquos procurrunt littora flexus,
Qua ſpectat boream, phœbum qua ſpectat eoum.
Iam duo de medio ſurgunt iuga littore ponti.
Hoc ſublime notis uentis dixere Carambin.
Illud in Europæ terris Aquilonis ad auras

Arietis undosæ rupis uocat accola frontem.
Hæc aduersa sibi recto sub limite surgunt.
Contiguo tamen hæc non sunt sibi proxima cliuo.
Sed tanto distant undosa per æquora cursu,
quantum onerosa potest ternis innare diebus
Nauis,& in uiridi secta trabe currere ponto.
Hic bimaris ponti iuncta æquora bina uideres,
Et ueluti curuus neruo cum tenditur arcus.
Porrigitur curuatq; sinus sua littora circum,
Terminus hinc atq; hinc nerui, sit dextera ponti,
Qui tamen è cliuis ducatur tramite recto.
Littore de medio est ponti porrecta Carambis.
Signati tamen hęc iacet extra limitis oras,
Et spectat gelidi niueas Aquilonis arenas.
Vtq; mare est dextra sic æquora curua sinistra,
quę duplici flexu curuantur,ut arcus habena
Flectitur,& ualido deducit cornua neruo.
Post etiam ad boream Mœotidos unda paludis
Labitur effuso sinuosa per ęquora stagno.
Torta Scythę degunt gelidi sua prædia circum,
Et brumale lacus captant in margine frigus,
Gens populosa niues glatialibus accolit aruis.
Hi ponti matrem dicunt Mœotidos undam.
Vnde sonans magnus numeroso gurgite fluctus
Labitur in latum uicina sub æquora pontum.
Tot bene cimmerius demittit bosphorus undas.
Quem prope cimmeriis habitat gens maxima campis,
Quę pede sub gelido tauri male friget in agris.
Sic Amphitrites ambit circumfluus humor,
Cœrulei oceani talis quoq; forma per undas.

Iamq̃ canam terras, ſpetiemq̃; habitabilis orbis.
Singula quo poſſis doctis memoraſſe camenis
quamlibet ipſe minus peraratas uideris oras.
Hinc tibi magna ſimul ueniet reuerentia quondam,
Surget & huius honor clarus,nomenq̃;,decusq̃;.
Si bene rettuleris terras alienaq̃; rura.
Dum tibi qui neſcit narrantis pendet ab ore.
Omnia cum facilis facunda dixeris arte.
Iam Lybię calidos humus inclinata ſub auſtros,
Atq; Euri flatus porrecta receſſit Eoos.
Qualis inæquali eſt laterum diſcrimine menſa.
Principio occiduis extendit Gadibus arua,
Oceani tepidas qua ſe cuneata ſub undas
Porrigit extremo maris hic protenſa receſſu.
Latior Arrabicum limes procurrit in æquor
Hic ubi non æquis habitant ſub ſolibus agros
Aethiopes nigri,quos iuxta littus Erembi
Saxaq̃; dura tenent nudi ſub rupibus altis.
Sic ſpatia eſſe huius narrant æqualia tergo
Pardalidos,cuius ſicca eſt atq; arrida pellis
Tincta nigræ paſſim maculoſo tegmine ſquamæ.
Aſpera terra illic, ſiccis quoq; torrida glebis:
Aſt hinc extremæ gentes in littore curuo
Rura colunt altis prope culmina nota columnis.
qua ſeges & fructus Mauruſidos eminet oræ.
Hos ultra Nomadum retinent immania gentes
Arua,Maſæſylii qua tondent gramina campis,
Et pecora effuſis paſcun Maſylees in agris
Cum pueris pariter quærentes paſcua bubus.
Aut uaria cingunt uirides indagine per colles,

Raraq; desertis extendunt retia sylvis.
Dum male agunt prædas timidi sub lustra ferarum,
Atq; dapes misere uenantur sola per arua.
Non illis circum glebas proscindit aratrum,
Nec longi per agros ducuntur uomere sulci.
Non iucunda rota est non axis plaustra sonantis.
Nulla boum redeunt illis armenta, nec agris
Mugitus tollunt ad candida tecta regressa.
Sed passim sylvis errant de more ferarum.
Ignari curua segetes incidere falce,
Plenaq; fœcundas deferre sub horrea messes.
Hos contra laterum obiectu Carthago sub alto
Includit portum statio gratissima classis.
Carthago quandam Tyriis habitata colonis,
Carthago Lybicas celeberrima fama per oras.
Quę metata bouis tergo sua mœnia cinxit.
Nec procul inde citos deuoluit in æquore fluctus
Sirtis aqua breuior. post hanc quoq; maior Eoæ
Inclinata plagę Syrtis grauioribus undis
Feruida profluuiis pelagi crebraq; procella.
Hinc mare Tyrrenum, feruent & concita uentis
Aequora. iamq; æstu fluxuq; tumescit aquosa
Syrtis, mox iterum decrescens aret utrinq;.
Sæpe aliquis siccis hic puppe cucurrit arenis.
Quas inter medio sunt condita mœnia campo,
Mœnia, ceu perhibent, formosa Neapolis urbis.
Hic ubi Lotophagis habitatur candida terra;
Iuris & hospitii celebratur fama per oras.
Venerat huc quondam uariis erroribus actus
Aequore classe secans procul ærumnosus Vlysses.

Cuius in aduersis notuit prudentla rebus.
Iam quoq; in his spatiis deserta palatia cernas,
Et quondam celsis Nasamonum turribus arces,
Quos post Ausonidum uirtus bene contudit hasta.
Auersusq; oculos tenuit tum Iuppiter Ammon.
Hos contra Asbystæ mediis uersantur in aruis.
Hic Lybici sacra templa dei celebrantur arenis.
Cyrenesq; ager hinc magnum generator equorum
Vrbis, Amyclææ quę uenit origine gentis.
Hic prope Marmaridę succedunt Isidos oræ.
Getuliq; tenent Lybiæ tum desuper arua.
Altera rura colunt tamen his uicina Nigretes.
Post etiam iuxta hos habitat Phaurusia proles.
quorum lata super siccis Garamentes arenis
Rura premunt uasti sylluis gens maxima campi.
Extremi Aethiopes terrę secessibus errant.
Est nemus adiunctum syluis peregrinaq; tempe,
Hoc prope ad Oceanum feruescit & ultima cerne.
Tum quoq; feruenti Blemiis à sole perustis
Montibus excelsis lapidosa cacumina surgunt.
Vnde fluunt pinguis stagnantia flumina Nili,
E Lybia uersus terras proserpit eoas,
Syris ab Aethiopum fluuius quoq; gente uocatus,
Accola sed Nili fecit mutata Syenes
Nomina. Deinde trahit fluctus Aquilonis in auras.
Mox quoq; diuersis hinc illinc spargitur undis,
Hostiaq; emissus septena sub ęquora mergit.
Irrigat ęgypti fœcundo gurgite campos.
Quo non usquam alius maiori uoluitur unda,
Nec tam fœtifero pinguescit pascua limo.

Nec tanto ditat florentes ubere glebas.
Hic etiam dirimit lybicas asiatide terras.
Ad lybicos lybiam, Nabatheos asida uentos.
Accolit hunc ripis rerum gens maxima fama.
Quæ docuisse uias, & mores prima dedisse
Dicitur, & leges uitam monstrasse colendi.
Primaq; dulce iugo tauri tentauit aratrum.
Et ductis per agros commisit semina sulcis.
Hæc dimensa polos radiis tum prodidit orbem.
Ausaq; prima sua stellas percurrere uirga,
Obliquasq; uias solis curuosq; meatus
Extulit ingenii cœli sub sydus acumen.
Huius fert animus fines describere terræ,
Et non ignotæ telluris dicere formam.
Non est exiguæ laudis nec carminis illa.
Nec paruas immensa iugis extenditur oras.
Verum alias inter fœlitia pascua bubus
Præbet agris uber, latis & florida pratis.
Deniq; læta suis ditescunt omnia campis.
Forma tamen latera hic circum tria magna cucurrit
Amplius ad boream processit littora circum.
Sed latus auroræ rutilantes spectat acutum
Luce faces tractum circa iuga celsa Syenes.
Quod montana iugis præruptaq; claudit utrinq;
Condenso nemorum munita cacumine sylua.
Vnde iocose tuo descendis flumine Nile.
Huius rura colunt plures opibusq; superbi.
Et qui niliacæ clarissima mœnia Thebes
Thebes antiquę, centum quæ condita portis.
Rauca sonans matrem Memnon ubi mane salutat,

Cum surgit roseis aurora inuecta quadrigis,
Quiq; colunt inter medias Heptapolin oras.
Quiq; notos uersus sub aquoso littore ponti
Aequoreis habitant finibus uicina per arua.
Quę protenduntur Sebronidas usq; paludes.
Huius & ad Zephyros urbs est celeberrima uentos
Dicta Pelethronii quondam cognomine regis.
Celsa Sinopitæ Iouis est ubi condita sedes.
Atq; auro radiant pretiosa palatia templi.
Non equidem in terris uideas diuinius illo,
Clarius antiqua nec religione deorum.
Diuitiis ue aliam cernas maioribus urbem.
Hic etiam speculæ Pallenidos Idotheææ
Visuntur. posthanc tepidas orientis ad oras
Niliati fluctus iuxta Casiotida petram.
Pelusii gens Prisca probat sibi Peleos arces.
Pelusii docti celeres agitare carinas.
Quos tamen ad Lybicas iam non numeramus arenas,
Auroram uersus habitant sub mœnibus urbes,
Qua fluit immensus septeno uortice Nilus.
Præterea Lybiæ plures hæc rura frequentant.
Oceani calcant qui littora curua uadosi,
Et quos in mediis alit ingens Aphrica terris.
Quiq; lacus circa & Tritonidos arua paludis.
Quæ diffusa sinus longa sub margine curuat,
Et medium Lybiæ notis prope terminat undis.
His patet ergo tibi nunc Apphrica tota figuris.
Quinetiam Europæ forma signata recepta
Nosse potes forsan si tu dignaberis arua,
Et didicisse plagas, nec te celabimus unquam.

Est eadem gelidas nisi quod se uertit ad arctos.
Atque iterum terras uersus sic tendit Eoas.
Vt Lybiæ est etiam periturus terminus orę,
quæ nebula cœli pluuioq; madescit ab austro.
Vtraque postrema pariter uestigia meta
Linquit ad Auroram porrecta sub Asidos arua.
Illa notos petit,hęc Boream. si feceris unam
Has ambas terram,nimirum nota figura
Illa foret coui partes æquata sub ipsas.
Altera sub Zephyros,Euros petit altera uentos.
Proxima quæ coris cuneatum tendit acumen,
Altera lata subit medias orientis in oras.
Ambarum tales si noueris esse meatus
Terrarum, facilis tibi tandem Europa patebit.
Angulus est huius toto postremus in orbe,
Hic ubi summa petunt surgentes astra columnę,
Quem colit ad fluuii ripas gens fortis Iberi.
Tenditur in longum uarias porrecta sub oras
qua Boreale salum gelidis effunditur undis.
Littora ubi oceani uertunt extrema Britanni,
Et Germana ferox bello gens dedita Martis,
Candida cui facies & candida membra nitescunt.
quæ nemora Hercyniæ syluæ saltusq; pererrat.
Hæc sed terra bouis reddit sub imagine tergum.
Montibus hos iuxta surgunt iuga Pyrennæa.
Hinc quoque Celtarum sublata palatia fumant.
Qua rigat Eridanus peramœno flumine prata.
Hic ubi desertæ per amica silentia Noctis
Heliades quondam deflerunt fata sorores
Lugentes ripis lapsum Phaetonta sub altis.

Iam quoq; populea nati sub fronde sedentes
Celtarum lachrymas, radiantis & arbore stillas
Electri carpunt aurum simulante colore.
Post hunc Hetruscæ sedes campiq; patentes,
Aruaq; florescunt circum tyrsenidos oræ.
Huius ad auroræ radios roseasq; quadrigas
Incipiunt alpes partesq; uidentur in omnes.
Quarum de medio decurrunt flumina Rheni,
Et tandem celerant Borealis in æquoris undas.
Post Rhenum deinceps oritur sub montibus Ister.
Ister aqua celebris resonans orientis ad oras.
Ore euxine tuo gelidis confunditur undis.
Hic euxine tuum spumas eructat in æquor.
Hostia qua Peuce deuoluit littora circum
Quina sonans raucum pariter fit murmur aquarum.
Huius & ad boream latis gens maxima campis
Ordine tecta colens diuersa per arua domorum
Hostia ad ima sacræ mæotidos usq; paludis.
Germani, gelidiq; aspertum sarmata ruris,
Et durus geticæ populus qui præsidet oræ,
Bastarnæq; feri, daciq; patentibus aruis,
Atq; alacres iuxta montes & littus Alani.
Quiq; colunt Leucam cursumq; immanis Achyllis
Taurica gens arcto sed longo margine ducta
Et scytici simul hinc porrecta sub hostia stagni.
Hos super aptus equis campus protensus alanis.
Rura melanchlæni uertunt hæc dura ligone,
Et quæ mulget equos gens hoc quoq; nomine dicta.
Neuriq;, hippopodesq; citi pictiq; agathyrsi.
Quiq; niues calcant & roscida rura geloni;

Frigida qua terras rigat unda Boryſthenis amnis,
Donec in Euxini delabitur æquora ponti,
Arietis aduerſa ſub fronte minantis in altum
Cyaneas contra directo tramite petras.
Illic Panticapæ fluuii, Aldiſciq; liquores
Murmura ſe iuncti Riphęis montibus ædunt,
Quaq; ſuos uoluunt fluctus glatiale ſub æquor.
Diuitis Electri grato ſplendore colores,
Ceu radiat fulgor naſcentis cornua Phœbes.
Nec procul hinc uideas nitidas Adamantis arenas,
Qui legitur circum duris gelidiſq; Agathyrſis.
Tot tibi littus arant gentes Aquilonis ad auras.
Qua ſpumoſus aquis fluuius reſonantibus Iſter
Labitur, & pelago tandem miſcetur amaro.
Ad latus inde noti fortes in prœlia Rheti,
Quiq; tenent muris hinc Norica mœnia tutis
Pannoniiq; uiri Myſſiq; Aquilonis ad axem
Exteriore ſolo quam ſint ſua Thracibus arua.
Quin ipſi Thraces diffuſa per æquora campi
Littus arant illi glatiale propontidis undæ.
Hi ſuper anguſta proſcindunt iugera terra,
Velox Argolicæ qua pontus fluctuat Helles
Atq; alii iuxta littus feruentis arenæ,
Qua gemit Aegęi reſonantibus unda procellis.
Hic ubi mellilegæ pallenes ſaxa ſub ipſa
Naſcitur Aſterius claro fulgore lapillus.
Nam uelut aſtra nitet flammas imitatus Eoas,
Vtq; lucerna micans rutilantibus ignibus ardet.
Tot populi degunt Iſtri inter flumina nota.
Iamq; alios tractus Europę alioſq; meatus

Aſpice,quàm ſeſe triplici de littore tollant
Vſq; ſub auroræ protenſi luminis ortus.
Primus ad oceanum tepidis habitatur Iberis.
Deinde etiam qui urbes & Achaica rura coercet.
Tertius Auſoniis dudum ſe ſuſtulit armis.
Sed tamen extremus claris ſe iactat Iberis,
Heſperus oceanus qua littora proxima radit.
Atq; Alybe extrema famoſa columna ſub ora.
Erigitur ſummum caput inter nubila condens.
Fertilis eſt infra campis Tarteſus amœnis.
Et Pyrenæis Celtę ſub montibus imas
Circa radices habitant. Dehinc Auſonis ura
Porrigitur medio Europæ ſub limite terræ.
Hinc Hiſpanus habet,illinc & Achaicus arua.
Ambarum hęc ſpatia eſt inter ditiſſima tellus,
Quam medii longo diſiungunt tramite monteſ;
Addita directe ueluti cum metat amuſſis.
Palladis haud ſacra quicumq; peritus in arte
Hoc opus hoc ingens naturæ carperet ullus,
Hunc Appeninum dicunt cognomine montem.
Ille niues canis condenſas Alpibus ortus
Spumeſcente freto ſiculas procurrit in undas.
Hunc circa innumeræ gentes quoq; rura frequentant.
Quas tibi nunc omnes & quo licet ordine dicam.
Principio latus occiduum Zephyritidos oræ
A Borea ſurgens Thyrhenis imminet aruis,
Thuſcus arat,poſt hunc gens hic antiqua pelaſgum,
quondam Cyllene Heſperium quæ uenit ad æquor,
Hic inter latios poſuerunt mœnia Thuſcos.
Hinc iuxta celebres habitant quoq; rura Latini

Florida prata rosis & amœna uireta colentes.
Inter quæ liquidus leni fluit agmine Tybris,
Et uitreos uoluit uicina sub æquora fluctus
Hesperidum Tybris fluuius regnator aquarum,
Tybris amœnus aquis, Tybris pulcherrimus amnis
Per mediam serpit lętanti flumine Romam.
Quę rerum domina est orbisq; superba uoluptas,
Diues opum mundi dignata potenter habenis.
Romulidumq; lares, & sedes inclyta regum,
Vrbibus & mater cunctis opulenta per orbem.
Regificusq; Thronus populis, soliumq; potentum.
Et prope campanis agri campiq; patentes,
Aruaq; tum sacro rident fœlicia Baccho.
Hic ubi Parthenopes castæ sacra templa maniplis
Spicarum densis, sertoq; reuincta recenti,
Quam sibi pontus aquis gremioq; recepit amantis.
Hinc procul ad pluuios auris feruentibus austros
Sirenum supra scopulos sirenidos undæ
Et picentini silari petit æquora flumen.
Post quoq; Lucanus, tenet & post Brutius arua.
Qui terras habitant porrectaq; rupe sub alta
Rura, extensa illis siquidem arua huc usq; recedunt.
Mox etiam ad Boream spumosæ aspergine cautes,
Et Zephyri sublime apparet in arce cacumen.
Sub quo Naritii posuerunt mœnia Locri,
Qui quondam Ausonios profuga cum coniuge portus
Intrarunt ratibus, qui iam quoq; curua frequentant
Littora, qua pelago se miscet liquor Halecis.
Deinde secat Græcas populus Metapontius undas
Et prope formosæ tolluntur culta Crotonis,

Quæ quondam pulsis habitantur mœnia Graiis,
qua sibi confusum rigat Aesarus æquor amœnus.
Præterea celsis se diua Lacinia templis
Tollit, ubi montis pendentia saxa uideres,
Illic & Sibaris crudelia funera deflens
Infœlix queritur ciues atq; aspera fata,
Cultoresq; suos bello cecidisse superbo,
Qui fecere manu pugnas sine more furentes.
Muneraq; Alphæus celebrabat Olympica ludis,
Mœnia cum Sybaris fuerant exempla pelasgis
Luxuriæ largas Iouis indignantis habenas.
Et celeres Marsi, & iuxta æquora molle Tarentum
Fortis Amyclæo quæ quondam condita Marte;
Quæq; Therapneis urbs est habitata colonis,
quiq; colunt pinguis telluris Iapyges agros,
Vnde Hyrium usq; petunt & Iapygis æquora circum.
Qua flectit salsas iuxta uagus Adria spumas
Ad faciles tortus uicini littoris undas,
Confususq; suis Aquileion irrigat æquor
Fluxibus, Hic celebris Tergestum condita sedes,
Quæq; Tegestræis extremo lympha recessu
Lympha maris cani prope fluctuat æquore curuo.
Ausonias habitant adeo tot littore gentes
Oras, Ausonios & amœna roseta per agros.
Hinc quoq; ad auroram deflectit in æquore cursum,
Littoraq; aduersus porrecta Liburnica radit
Rusq; Hyllæorum, munitaq; mœnia circum
Quæcunq; Ausonium simul inclinata sub Isthmum
Italicas superis undis uertuntur ad oras,
Quæ quoq; Bulineo succedunt littore terræ.

Illyridos circum syluas incultaq; rura
Inuoluens curuo sinuosa uolumina ponto,
Quo simul immensus ferueścit ductus aquarum
Vsq; ad celsa iugis umbrosa cacumi na montes,
Fulmine quod toties arsere Ceraunia dicta.
Quinetiam tumulum uideas hæc æquora circum
Armoniesq; uiriq; simul Cadmeia busta
Inclyta busta ducum, quos candida fama sequuta est.
Namq; ibi mutatę iam bina uolumina formę
Serpentes uirides repserunt littoris ora.
Ismeno tunc cum fessi Venere senecta.
Hic aliud subito fatis apparuit ingens
Prodigium, conuersi abiere in corpora saxi,
Defixęq; duæ steterunt in margine petræ,
Motaq; Cadmeis, fama est, concurrere saxis
Membra refert quoties rumor cultoribus arui
Crudelis patrię uentura pericula terræ.
Inde notos uersus pinguis super ardua Thraces
Oritiumq; solum primis est Gratia campis
Alta petens adeo bino circumdata fluctu.
Hinc siculis illinc Aegæis æstuat undis.
Vnda tamen ualidos hic excipit utraq; uentos.
Hesperium fluxus, Zephyrum dixere, Sicanus,
Aegæus tepidos Euros Nabatheidas auras.
At Pelopos sequitur mediis dehinc insula pontis.
Quæ similis platani folio, quod crescit acutum.
Extrema siquidem constringitur Isthmus in unda,
Arctior ad Boream pressit uestigia terris
Hellados Aoniis pariter subnixus arenis.
Ambitus est illi curua latissimus ora.

Plurima sed circum producit lingula fauces.
Vsq; frequens folium qui intercipit angulus æstu.
Hinc atq; hinc liquidis hęc cingitur æquoris undis;
Et prætenta maris finibus se sustinet alti.
Huius & ad Zephyros Triphyllidos *arua coluntur.*
Qua sonat Alphæus *fluuium pulcherrimus amnis*
Ore Eurota *tuo fluidis confusus arenis.*
Teq; Alphæe *suo rigat amne* Mesenius *alueus.*
Emittunt Asia *pariter iucunda fluenta,*
Leniter & serpunt ambo rorantibus undis.
Hic secat Eleos *labenti flumine campos.*
Ille Therapneos, Amyclæaq; *rura pererrat.*
In mediis campis terræ, & conualle uirenti
Arcades Apidanes celsa sub rupe Erymanthi.
Qua Crathisq; Melasq; *fluens & aquosus* Iaon,
Antiquæ flammæ memoris Ladonis *& amnis.*
Argæiq; colunt & arant prope rura Lacones.
Argæi auroram spectant, Atq; arua Laconum
Ad pluuios uergunt austros Tritonidos *oræ.*
Aequora bina fremunt magno cum murmure circum,
Isthmia ubi undoso quoq; fluctu littora cingunt.
Hoc Ephyram *contra* Zephyri *sub mollibus auris,*
Illud ad Eoi *cursus radiantis habena*
Feruet, & illud arant, dicuntq; Saronidas undas.
Et qua mane uenit fœlix Hyperionis *ortus*
Infra Isthmum *circa pratis uiret* Attica *tellus.*
Qua liquor Actęi *memorandus fertur* Ilissi.
Vnde tulit raptam Boreas *quondam* Orithyan.
Sidoniis iuxta Bœotia *rura colonis,*
Aruaq; Locrorum parnassi subdita cliuis.

Aemoniæq; plagæ, claræq; pelasgidos urbes,
Threitiusq; Aemus, niuibusq; cacumina cana.
Hunc contra Epirus qua parte Fauonius auras
Mittit, ubi syluæ nemorum Dodona choruscæ
Chaoniis prætenta iugis & lata uiretis.
Hanc super apparet furiosos uersa sub austros
Post altas celebris speculas rupesq; Aracynthi
Vndiq; magna recens pictis Aetholia campis.
Qua diues uoluit nitidas Achelous arenas
Circum prata sonans undis argenteus amnis
Littora curua petit tandem, gremioq; receptus
Aequoris insultans siculas perlabitur undas
Per medias, portu quas plurima rumpit amaro
Insula, dum claras inuisit Echinadas amni,
Celsa Cephallenum uicinaq; mœnia surgunt,
quæ circum uario fluxu super æquoris extant.
Hunc prope Apollineæ rident quoq; Phocidos arua,
Qua uenit & Titan, & uecta aurora quadriga,
Sed tamen ad Boream tum faucibus imminet atris,
Termopylisq; patet Phocis sub monte niuoso,
Parnassiq; iugis, medius quam prænatat humor
Descendens magno fluuio, & resonantibus undis
Cephisi. iuxta Pythonis odorifer agris
Tractus, ubi sæui Delphynæ terga draconis
Extendunt multis sinuosa uolumina squamis
Ad tripodas phœbi templo reuoluta sub alto.
In quo sæpe arcum fixit, posuitq; sagittas,
Auratasq; humeris sibi dempsit Apollo pharetras.
Siue claro seu Mileti modo uenerat aruis
Adsit & ille mihi dexter faueatq; canenti

Tu quoq; musa canas piscosa per æqu ora terras,
Quęcumq; in uiridi cernuntur gurgite ponti.
Iamq; sub Hesperiis sunt inter aquosa columnis
Marmora postremæ Gades super æquoris unda.
Quas hic extremi oceani circumfluus humor
Arcet,ubi uertunt phœnices arua coloni.
qui Ioue prognati sacra ponunt Herculis ara.
Hanc ueteres quondam Cotinusam nomine terram,
Post etiam Gades aliter dixere minores.
Mox aliis contra surgunt Gymnesides undis.
Et iuxta celsum prætendit littus Ebusos.
Marmoreisq; super campis latissima Sardo
Insula fruge ferax,& amœna sub æquore Cyrnos,
quam patrii dicunt cultores Corsida ruris,
Illaq; frondosis syluis nemorumq; latebris
Cingitur,& lucis ibi pascua nutrit opacis.
qua non ulla umbris nec frondibus amplior altis
Post hanc Aeolides uicina per æquora sparsę.
Vortice quas rapido gurges circumfluus urget.
Hippotadę regis sedes & regna per æquor
Hospitis Hippotadæ solium,qui flamina torquet,
Imperat & uentis,seu laxas præbet habenas,
Quando mouent flatus rabidi inter saxa procellas.
Seu frenat mulcetq; animos,cum gurgite presso
Aequora tuta silent inclusis carcere uentis.
Aeolus hæc tenet hic aurarum regna superba.
Hippotadæ Aeolides septem cognomine regis,
Atq; alio totidem stant circum nomine Plotæ.
quippe tenent medios ibi classis in æquore cursus.
Sicelis has iuxta fluctu iacet insula contra

Ausoniam triplicis lateris protenditur aruis.
Alta iugis surgens se porrigit ante Peloris.
Ardua deinde tenet sublimi sede Pachynus,
Et Lilybe Tyrias pelago procul aspicit undas.
Ast liquidæ cautes porrectaq; saxa Pachyni
Auroram uersus tendunt, lilybeia duris
Saxa uadis Zephyri surgunt sub mollibus auris.
Ergo Lycaonias petit hinc uentosa Peloris
Notior ipsa feras, qua spectat Iapygis oras
Ausonias, nautis ubi formidatus arena
Cursus, iterq; uehit per mille pericula ponti.
Hic angusta maris scopulos circumsonat unda;
Arcta rates arcet, collidit & aspera spumas.
Inuiaq; ingressis sæuum uia puppibus æquor,
Sectaq; littoreis terrarum anfractibus horret.
Deinde notos uersus Libyci fluit æquoris humor.
Altera mox Syrtis, uerum altera cernitur ultra
Ad latus occiduum spumosa puppe secanti.
Cuius in aspectu bina est super insula ponto
Sed propior Mininx cercinaq; gurgite celsa,
Vtraq; seiunctim Libyco contermina portu.
Iamq; sinus pelagi si intraueris ipse sinistros
Alta secans puppi uirides ad iapygis oras,
qua uoluit celeres aura uagus Adria fluctus,
Inuenies fortis media Diomedis in unda
Quę iacet Adriaco tellus ambita liquore.
Quo Veneris fastu deuenerat inclytus Heros.
Cum fuit ad claros puppi delatus Iberos.
Aegiale fuerat causam quæ prębuit illi,
Ergo dolis illuc & crimine cesserat huius.

Auroram uersus qua magnus ductus aquarum
Flectitur, Apsyrti tellus circumdata fluctu
Apparet subito quam quondam colchica proles
Inuasit,iuueni peteret cum Phasida raptam
Fessa aeaetiados quaerens uestigia natae
Errore esoniden pagasaea puppe sequutae.
Aequoreisq; super stant inde liburnides aruis.
Ambratiiq; sinus celebrato nomine terrae,
Diuidit aequoreos qua nobilis insula fluctus,
Atq; notus uoluens ad littora curua procellas
Spirat Chaoniis post densa ceraunia syluis,
Caeruleo apparent currenti gurgite naui
Alcinooq; duci quondam gratissima sedes
Pomorum diues nitidis Corcyra sub hortis.
Neritiaeq; Ithace scopuli tolluntur in undis.
Et quas preterea serpens è Chalcidos aruis
Argento faelix Acheloius alluit amnis.
Quaeq; magis spectant boream septemq; Triones,
Gnosius Amnissi fluitat quàm gurges aquosi,
Aegyla,celsa cythera,Calauriaq; aspera cultu.
Carpathus hinc alia feruescit parte sub austros.
Et prope Creta Iouis magni iacet insula ponto.
Creta Iouis nutrix sobolis cunabula sacre.
Creta Iouis summi famoso candida partu,
Magna solo,fruges segetemq;,& pascua bobus
Fertilis effundit laetanti numine tellus.
Frondescit nemorum syluis hic floridus Ida
Et procul umbrosis extollitur aequore lucis.
Vsq; adeo spatiis extendit littora circum.
Aegyptum contra Rhodus est excelsa caminis

Vrbis,Ialisiis sedes extructa colonis.
Inde chelidonio ternæ stant nomine terræ
Auroram uersus intra Patareida rupem.
Et matutinis intra Pamphylidas undas
Cypris humus radiis eoi subdita solis
Alta Dionææ Veneris sibi mœnia iactans
Alluitur,magnoq; Aradi madet æquore littus
Iuxta phænices bibulas spumantis arenas.
Suniate contra nymbosa cacumina rupis,
Chalcidicos supra longe cernuntur Abantes
Et Salamis Graięq; Aeginæ mœnia clara.
Nunc etiam Aegæi dictum mirabile pontus
Diuersas gremio terras ambiuit utrinq;.
Apparet circum series hic longa domorum,
Vsq; quidem angustas undas Athamantidos Helles.
Hic ubi Sestus amat respondet Abydos amori,
Sestus Abydeno nimium contraria portu.
Atq; hæc feruescunt tibi littora curua sinistra.
Ast Asiæ terræ diffusa,per ęquora dextra
Arctoas gelidi Boreæ tenduntur ad oras
Macris & Europę consistit Abantias alto.
Fœtaq; per littus Scyros propioribus auris,
Et Peparethus aquis ponti sublimior ipsis.
Asperaq; hinc duro Vulcani littore Lemnos.
Atq; antiqua Thasos Cereris granaria sanctæ.
Imbros,& alta Samos quondam Corybantide sede
Thressa Samos,quæ nunc uulgo Samothratia dicta.
Iamq; Asiæ terræ fama maiore sequuntur.
Hinc atq; hinc Delon cinxerunt ęquoris undis,
Cyclades ergo mari Graio stant nomine circum.

Quæ tibi phœbe choros celebrant & sacra quotannis
Vere nouo uiolis pratisq; recenter amœnis.
Cum iam fœta hilares sibi ponit in arbore nidos,
Et querulos nutrit pullos Philomella canora,
Atq; mouet cantus nemorum secreta per arua,
Et suaues modulos respondent undiq; montes.
Vltra etiam Sporades elucent æquore toto,
Splendescunt nitido uelut astra micantia cœlo,
Cum liquidas boreæ nubes leuis aura serenat.
Quas iuxta apparent mediis & Ionides undis.
Hic Caunosq; Samosq; Pelasgidos inclyta sedes
Iunonis cultu, lætis & amœna rubetis.
Inde Pelenæi Chios sub montibus altis.
Ast hinc Aeolidum subito iuga celsa patescunt:
Et uiridis campi spatiosis Lesbos arenis,
Optatumq; rigans Tenedos pulcherrima littus.
Flebilis inde Melas ad aquas sinus affluit Helles,
Et uiridi salsas eructat in æquore spumas.
Multum etiam ad ualidos flatus Aquilonis ituro
Aestuat hinc atq; hinc emissa propontidos unda.
Præterea extrema est Euxini parte sinistri
Insula in æquorea famosa Borysthenis unda
Heroum sedes, Leucam cognomine dicunt,
Nempe quod his serpunt animalia candida terris.
Fama est hic animas Heroum ac fortis Achillis
Per nemorum saltus læta conualle uirentes,
Desertasq; uias, & syluis abdita rura,
Exercere leues uiridanti gramine cursus.
Fortibus hæc quondam concessit Iuppiter arua,
Hoc quoq; magnanimis pretium debebitur umbris.

Hæc adeo celebris meruit sibi præmia uirtus.
Hic honor hoc munus uirtutis ponitur altæ.
Ardua nimirum sequitur post funera uirtus.
Hinc Scythicas recta si tum sulcaueris undas.
Cimmerius ponti qua iungit Bosphorus æquor.
Tunc alia immensis protenditur insula campis
Algentis scyticas intra Mæotidos undas,
Quæ latus ad dextrum terris se iungit eois.
Hermonassa nitens fœlix ubi mœnibus altis
Hermonassa uiris habitatur Ionide ductis
Hic quoque Phænagore scytico sub littore celsa
Hæ celebres adeo passim stant littore terræ.
Ast aliæ oceani cinguntur fluctibus oræ.
Iamque; situs harum facili tibi carmine dicam,
Vt quoque quas capiat uentorum quælibet auras.
Aethiopes habitant Erytheam germine lętam,
Vbera quæ pinguis producit pascua bubus,
Vndę cultores Atlantidos ęquora circum,
Aequora Geryoni quondam regnata superbo,
Macrobii antiqua generosi stirpe nepotes
Classibus Aethiopes intrarunt littora gentes
Aspera Geryonis olim post funera regis.
Inde super sacram rupem prope littus Iberum,
Quam caput Europæ uates dixere priores,
Hesperides terræ occiduo sub sole tepentes.
Hic ubi Cassiteri, & stanni genitura reperti,
Frugiferas uertit glebas quoque diues Iberus.
Insuper oceani Borealia littora iuxta
Stant binæ terrę frigente Bretannides unda,
Hic Rhenum contra dirimuntur ab orbe Britanni,

Atq; idem extremo prorumpit in æquora fluctu.
Harum magna quidem tellus est marmora circum.
Qua maior similisq; situm licet æquore toto
Insula nulla iacet.iuxta quoq; tractus aquarum
Est alius circum complexus littore terras
Orchadas Amnitas contra,quibus undiq; sacra
Concita sacra Thyas peragit tibi fœmina Bache,
Bacchaturq; hœderæ nigro redimita corymbo.
Nocte sub obscura sonus undiq; uerberat auras.
Et strepitum pulsuq; pedum tum curua resultant
Littora,dum festas plaudunt tibi Bache choreas.
Non sit Bistonides Apsynthi littore Thraces
Clamosum ingeminant sic uocibus Eraphioten.
Non sic cum pueris ad cęrula flumina Gangis
Indi epulasq; chorosq; sacrant tibi Bache frementi.
Vt geminant illas mulieres Eue per oras.
Vlterius longe oceano si puppe secabis
Frigescente uiam,& transmiseris ultima thules
Aequora Neptuni duris agitatus arenis.
Hic,ubi sol gelidas propius transcendit ad ursas,
Nocte dieq; simul sparguntur lumina terris,
Et iuga continuæ radiantur subdita luci.
Tunc siquidem Titan curuo uehit astra meatu,
Feruida cum flamma rutilanti signa rubescunt.
Et mox uertit iter flagranti lampade phœbus.
Ac nitidas recte radii inclinantur ad arctos.
Donec ad æthiopum longe iuga flexerit oras,
Mortalesq; rota procul actus adiuerit atros.
Pręterea si spumifera tum naue sub ursa
Altas Oceani Scythici sulcaueris undas,

Vlteriusq; rates ad eoum uerteris æquor.
Insula lucifero tollet sese aurea fluctu.
Vnde rubent orti rutilantia lumina Solis,
Inde iterum prora calidos si flectis ad austros
Coliados contra gangetica culmina rupis,
Feruida continges immensę littora terræ
Taprobanæ celebres spatiosę uectus in oras.
Quæ diues gignit nutrix elephantas eoos.
quam super & Titan, & Cancri signa rubescunt.
Cancer enim æthereo circum sibi uoluitur orbe,
Et cælo pariter rapitur sublimis ab alto.
Vsq; adeo super hanc ardescit in æthere cancer.
Insula cincta mari magnis latissima campis
Taprobane finibus prętenditur æquoris altis.
Circum sæua tenent immania littora cete,
Nutrit Erythreus quæ monstra sub æquore pontus,
Instar montis eunt summi reuoluta per undas.
quorum terga rigent diris ingentia spinis,
Tergoraq; incuruus tractus nimis asperat alta.
His quoq; prædones si quando per ęquora rapto
Puppibus errantes sinuoso gurgite celsis
Occurrere, fuga non est spes ulla salutis.
Nec phas est ulli fauces uitasse feroces,
Aut fugisse semel crudelia gutturis ora.
Panditur his siquidem mirando rictus hiatu.
Sæpe uiris una Neptuni belua dira
Sorpsit in abruptum baratri ceu gurgite classem.
Nec solum terris, sed mille pericula ponto
Aspera latroni sit undiq; fata dedere.
Vlterius iacet hinc extra carmanida rupem

Regis Erythræi nimium celebrata sepulchro,
Ogyris inde citis tum persidos ora subibis
Aequoris ingressus salsam cum puppibus undam,
Atq; uiam inde secans aquilonibus ęquora uersus
Aspera, continges spumantibus Icaron undis
Icaron æquoream, Dictynnæ culta Dianæ
Hic micat ara deæ tauri sub imagine sacrę.
Quæ nidore frequens & mollis odore seuero
Relligione sacra fumos exhalat acerbos.
Tauripoli templum iactat quoq; fama Dianæ.
Oceanus liquido tot continet ęquore terras,
Quæ circum celebres maiori littore feruent.
Innumerę'q; aliæ quas pagina nostra reliquit.
At sinus immensis quasdam Aphricus arcet arenis,
Quædam Asię, quædam Europę sub nomine dictæ.
Atq; aliæ circum fama numeroq; carentes
Salsi spumiferas hinc inde per æquoris undas.
Hæ circa ostentant uariis habitata colonis
Mœnia, & eximios præbent sub littore portus.
Illæ subnixæ subeunte crepidine celsæ
Semper inaccessas nautis ac puppibus oras
Reddunt, ergo latent ignoto gurgite cinctæ.
Quas mihi parua nequit retulisse in carminę musa
Cunctarum'q; suo tot dicere nomina ponto.
Iam'q; Asiæ speties terræq; utriusq; figura
Pene refert galeæ ficta sub imagine conum,
Ducta magis tamen extremas orientis ad undas
Vndiq; in eoos Asiæ ultima terra recessus
Porrigitur nimium Phœbo nascente calescens.
Aethera pertingunt ubi nunc quoq; summa columnæ,

Quas

Quas quondam posuit Thebanis ortus ab agris
Bachus ad extremum procul oceanum æquora iuxta.
Montibus Indorum qua iungitur ultima terra
Et flauas fluuius resonans ubi candidus undas
Planitiem circa mouet, & rigat æquore campos,
Nyssæusq; maris tum rauca fluenta fidinis
Immittit Ganges nitidas & uoluit arenas.
Sed nec tanta quidem est Asiæ telluris arena,
Nec tam magnus erit spatiosis ambitus oris.
Nec speties adeo similis seu forma uidetur.
Europæ & Lybiæ pontus dominatur in undis
Vnus, at oceanis circumfluit Asia multis,
Tres siquidem uario deflectit gurgite fluctus,
Spumososq; sinus eructat ab æquore ternos,
quos intra mittit littus telluris & arua.
Persicon, Hyrcanionq;, Arabumq; sub æquore celso.
Sed duo uicinos nimium uertuntur ad austros.
Tertius ad Boream gelidasq; Aquilonis ad auras
Spectat, & Euxinis nondum conterminus undis
Parte Lybos sese flatus inclinat in altos.
Quem circa innumeræ gentes quoq; rura frequentant.
Magna quidem tellus mediusq; interiacet Isthmus,
Hinc atq; hinc adeo longis extenditur aruis.
Hinc fluit Euxinus, illinc & Caspius humor.
Per medios orientis agros Asiamq; per omnem
Serpit inextincto mons undiq; uertice celso.
Producens frondes orsus Pamphyllide terra
Sole coloratos hinc usq; recurrit ad Indos.
Interdum curuo tractu deflectitur ille,
Rectior interdum pariter uestigia pressit.

D

Illum adeo dicunt claro cognomine taurum.
Nempe quod est instar tauri cliuosus ubiq;
Sublimisq; meat molliq; cacumine surgit.
Assiduis idem porrectus montibus usq;,
Multaq; diuersis ostentat culmina terris.
Innumeri inde fluunt magno cum murmure fontes,
Et resonant amnes montanaq; flumina circum,
Hiboream uersus illi rapiuntur ad austros,
Atq; alii Zephyri,atq; Euri sub flatibus undas
Deducunt,quis enim montis tot nomina dicat.
Nec retinent unum tot circum culmina nomen.
Ast ubicumq; patet latos anfractus hiatus.
Nomen habent aliud,curent quicumq; per oras
Hic habitant circum,poterant hæc nosse coloni,
Quiq; domos iuxta,uicinaq; rura frequentant.
Iamq; breui cunctas percurram carmine gentes,
Quæcumq; illustres posuere cubilia campis,
Et uertunt Asię glebis fœlicia prata.
Vos quoq; uos musæ uestigia nostra regatis.
Ergo colunt Asiæ mæotica rura paludis
Mæotæ populi,ac sęuum gens Sauromatarum
Armis belligeri semper gens strenua Martis,
Venit Amazonidum quæ quondam prodita partu,
Nataq; concubitu fortiq; ab amore creata
Iactat Amazonidum clypeos & imagine ceras.
Quæ cum Sauromatis quondam perhibentur in armis
Conseruisse femur,iacuisse & amore solutæ.
Cum procul à patria quondam tellure uagantes,
Errantes longe quoq; Thermodontis ab undis,
Disiunctæ gererent bellum martemq; cierent.

Ergo etiam ex illo nati de semine fortes
Magnanimiq; habitant syluas immensaq; lustra.
Hæc inter Tanais fluuiis undosus Eois
In mare prorumpit mæotidos ora paludis
Ingressus pariter flauas ac miscet arenas.
Separat hic Asiæ Europa quoq; flumine terras.
Ad Zephyrum Europam, sed diuidit inde sub Euris
Arua Asiçq; solum fœlix, Nabathæaq; regna.
Huius item fontes irrorat montibus altus
Caucasus, & longe resonante remurmurat unda.
Hinc atq; hinc latus rippis premit alueus arua
Concitus & Scythicos mananti flumine campos
Irrigat, è Borea nunq̃ defessus arenis
Fluctuat, huius aquas concretas frigore cernas.
Heu miseros gelidis habitant quicumq; sub agris,
Et posuere domos sæuis Aquilonis in aruis,
Ac stabulant isto duro sub frigore rure.
Nempe gelu gelidçq; niues his semper in oris,
Et uenti grauiter spirant glatialibus auris.
Aspera cum redeunt numerosis frigora uentis.
Tunc & equos passim morientes frigore cernunt,
Hic & oues sparsæ & muli sternuntur in agris,
Non homines ipsi ferrent discrimina tanta,
Sub Boreæ flatu gelido si forte manerent.
Sed fugiunt iunctis hyemis sub tempora plaustris.
Plenaq; defessi uexerunt hessseda manni.
Dum quærunt alios campos, alienaq; rura,
Hybernisq; suos linquunt ibi flatibus agros,
Qui furiunt sæuis deserta per arua procellis,
Et circum niueas hic perflant turbine terras,

Piniferumq; nemus, piceisq; cacumina densa.
Isthaec adeo Tanais habitant ad flumina gentes.
His uicina tenent populosa gente coloni
Sindi, Cimmeriiq;, & qui tum proxima ponto
Cercetiiq;, oretaeq; iugis simul arua fatigant
Rastris, & fortes qui uertunt littus Achaei,
Quos simul Idaeis Phrygii Simoentis ab vndis,
Et Xanto fluuio dirreptos flamine dira
Flabra noti pluuii quondam Zephyriq; tulere
Fortis Aretiadae regis patria arma sequentes.
Hos iuxta exercent contermina rura ligone
Heniochi populi, Zygiiq; pelasgidos orae
Progenies olim Graia de stirpe creati.
Inde sinus circa liquidos, pontiq; recessus
Tyndaridum post rura soliq; ferocis arenas,
Arua uirent longe Colchis habitata colonis,
Quae gens Niliaco quondam de littore uenit,
Et prope Caucaseum montem noua tecta locauit,
Qui circa Hircanum mare crescens rupibus altis
Surgit, ubi phasis fluidis delabitur undis,
Planitieq; secans Circaeos gurgite campos
Intrat aquas ponti, celeresq; sub aequora spumas
Ingerit Euxini referens primordia fontis
Montibus Armeniis cuius se flectit & isthmus
Inde Lycaonios illinc sed uersus Eoos
Latior & bino spatiosus gurgite uentos.
Hic fluit Euxinus, fluit illic Caspius humor.
Cuius habent clari peregrinum littus Iberi
Matutina soli sulcantes fertilis arua.
Haec gens in fines procul huc concessit Eoos

Pyrrenne sq; iugis & Iberi ualle profecta
Hostis in Hircanis commisit prælia campis.
Et Camaritarum pariter gens maxima quondam
Nobilis hospitio Bachi celebrisq; choreis
Excipere olim numen fatale benigni.
Flecteret Eois cum iam iuga uictor habenis
Liber agens sæuas Nysæ de uertice tigres,
Indorumq; hilaris spetioso Marte reuertens.
Hi quoq; Bachidibus sacras statuere choreas,
Pampineis foliis, & cincti corpora Zonis,
Hispidaq; induti ceruina pectora pelle
Euohe Bache fremunt, pertentant gaudia corda.
Ingeniumq; Deus populi legesq; sacrorum
Rite secundabat moresq; ferebat in astra.
Caspius hos etiam prope fluctuat æquoris æstus.
Quod mare iam pariter facili tibi carmine dicam.
Et tamen hinc longe nunquam uada cærula uidi,
Nec uastum celsis penetraui puppibus æquor,
Vitaq; nec cymba, tumidis nec ducitur undis
Nec patria æquoreo procuro negotia ponto.
Nec peto ceu multi procul hinc Gangetidas undas
Longe puppe secans Erythræi gurgitis æstus.
Comittuntq;. animas pelago ratibusq; salutem.
Dum quęruntur opes & Gangis diuitis aurum.
Nullaq; in Hircanis mihi sunt commertia regnis,
Caucaseosq; iugis saltus nec calco remotis,
Qua rubri uertunt Ariani iugera rastris.
Sed me musarum calor, & tulit impetus ille,
Vos etiam musæ fluctus memorare potestis,
Et metare procul numerosas æquoris undas.

Vt minus huc sitis longis erroribus actæ,
Ingenio emensę montes telluris & arua,
Oceaniq; sinus, ambitæ & littora terrę,
Aethereasq; uias astrorum, & sydera cœli.
Quid si pontus aquis etiam circumfluus esset,
Hircaniq; maris circum foret ambitus usq;,
Et non assidua gurges remeabilis unda,
Qui ratibus cęlsis magno patet æquore circum,
Tum citius terno percurreret orbe Diana,
Tertiaq; ore suo repararet cornua phœbe,
Quàm tua longinquas puppis transmiserit undas
Tot fluctus intrans Hircana per æquora uecta.
Caspius extendit tam longe brachia pontus
Turbidus atq; asper refluens immitibus undis.
Inde Lycaonias retro dat lora sub ursas.
Fluctibus Oceani gelidisq; immissus arenis.
Hoc quoq; uisuntur pariter miranda per æquor.
Gignit crystallos, & fuluam gignit iaspin
Infensam Empusæ, atq; aliis sub imagine spectris,
Qualia multa modis errant uolitantia miris.
Iam quæcunq; habitant gentes hęc littora circum
Expediam occidui lateris primordia terræ
E Borea ueniens agris exorsus iniquis.
Principioq; Scythæ campos atq; ultima rura
Rura tenent iuxta concretum frigore pontum,
Et salis Hircani calcantes littora curua,
Refluit undoso fluctu qua Caspius æstus.
Post habitant Vnni, super hos tum Caspia pubes.
Albaniq; premunt agros cum Marte minaces.
Quiq; tenent populi circa aspera rura Cadusi.

Et prope Mardorum degit gens æquora iuxta.
Hyrcaniq;, Apyriq;, & eodem nomine riuus
Mardus adit patrias gentes circumfluus undis.
Dercebiis, Bactrisq; simul sua fluminis unda
Pota inter medios Hyrcanum currit in æquor.
Interiora tamen Bactri fœliciter arua
Diuitis arua colunt extensa per æquora campi,
Paropanesiaci montis sub rupibus altis.
Dercebiiq; latus simul hinc prope Caspia stagna
Obtinuere iugis. post hos orientis ad oras
Spumiferum resonantis aquis trans flumen Araxis
Massagetæ celeres docti torquere sagittas.
Quos utinam accedam nunquam prope corpore iunctus,
Nec quicumq; mihi est fido dilectus amore.
Qua non ulla magis gens est, & inhospita tellus:
Illo non etenim fuit hospes ab hospite tutus,
Frumenti species populo non ulla feroci,
Quin & nulla cibi dulcis iuuat esca Dianę,
Nulla mero patrio crescunt uineta per agros,
Et nec Bache tuos succos, nec pocula siccat,
Sanguine sed mixtum niueum lac potat equorum
Marte ferox seuis agitans conuiuia mensis.
Contra hos ad Boreæ gens est Chorasmia flamen,
Quam prope frugiferis ditescit Sugdias aruis
Terra ferax latis quoq; Sogdiana sub agris.
Quam medius sacris fluuius rigat Oxus arenis,
E modos linquens montes in Caspida rumpit.
Post quoq; Iaxartę liquentia flumina circum,
Telo, arcuq; Sacę, quos nullus uinceret arte,
Aequaretq; cita clarus iaculator habena

Nec phas est illis certis errare sagittis.
Et Tochari, phruriq́;, & gentes seres Eoæ,
Et qui rure boues soliti contemnere largas,
Pinguiaq́; herbiferas recreantis ouilia potu
Fluminis ad ripas, & pascua lęta per agros.
Lucida sed tondent depictis floribus arua,
Quæq́; nitent uiridi tenues in stipite lanæ
Per densas syluas, atq; aspera rura leguntur.
Arboreo texunt pretiosas stamine uestes,
Et iactant pictis uariatam floribus artem,
Atq; laboratas uiridi de fronde Tiaras,
Et tunicas, frondemq́;, & florida prata colore,
Intextisq́; suas imitantes floribus herbas.
His non ulla quidem certaret tela per orbem,
Nec tenuis summo quæ pendet aranea tigno.
His etiam inde alii uicina per arua frequentant
Tecta Scythæ gelidis hyemis perflata sub auris.
Hic extrema illi notoq́; carentia sole,
Rura salebrosis extensa per æquora campis,
Rura sed Hybernis eadem male subdita uentis,
Et gelidis semper crepitanti grandine tectis.
Qua Boreæ frigent nimis inclinata sub auras.
Aequora tot circum tot Caspia littora gentes
Circa habitant, alta qua surgit Caucasus arce.
Iamq́; iterum mentem uertas à Colchide terra,
Et procul Euxini circço Phaside spectes
Littus & ora maris, densasq́; sub æquore gentes.
Quadrupedes fluctu qua Phœbus mergit Ibero
Et qua Threitius spumescit Bosphorus unda,
Et prope uicinas despectat Chalcis arenas.

Bizeres populi primum gentesq; Becheræ,
Macrones, Philyresq; simul, supraq; charambin
E ligno structis habitant qui turribus altis.
Ac prope mille greges agnorum pascua tondent,
Balantumq; simul Tibaremis nota per arua.
Quos iuxta Chalybes duræ atq; immitis arenæ
Docti materiem rigidi producere ferri
Exercent sæuo feruentia brachia ferro,
Asperaq; impositis quatiunt incudibus æra
Astantes, ictusq; sonant, tellusq; resultat.
Vsq; adeo requies nunquam datur ulla laborum.
Aerumnæq; graues torquent incude lacertos.
Post hos Assyriæ procursus tenditur oræ.
Hic ubi Amazonidum Thermodon influit undis
Martius armigeris, circum, furialis Enyo
Monte sub Armenio descendere prospicit albam
Thermodontis aquam, cui gestat nomina fama
Thermodoontiaci fluuii, qui laude Sinopes
Fertur, ut accepit longis erroribus actam
Ingremio quondam fœlix Asopida nympham,
Tristibus & curis ægram solatur amantem,
Vtq; suis iussit pariter consideret oris.
Sic etenim summus tum Iuppiter ipse uolebat.
Olim formosæ flagrabat amore puellæ
Iuppiter, inuitum patriis seduxerat aruis.
Virginis hinc etiam tenuerunt mœnia nomen.
Thermodontis aquæ gelidas ubi gemma uirescens
Nobilitat ripas, clariq; ubi sæpe lapillos
Crystalli nitidos poteras secuisse repertos.
Ac uelut hybernam glatiem sub flumine gemmas;

Et datur undosam, fuluamq; strepentis Iaspim
Legisse in liquidis hic Thermodontos arenis.
Dehinc Iris uitrea defertur in æquora lympha.
Ductus Halys iuxta, resonant & amœna fluenta,
Quę tendunt Boream versus prope celsa Charambis
Culmina, sed prima descendit origine montis
Armenii, unde oritur fluuius rorantibus undis.
Et prope paphlagones habitant in littore gentes,
Ac Maryandini sacrum genus, inclyta fama
Huc traxisse canem stygii Iouis ora triformem
Gutturis grata latrantem uoce tremendum
Magnanima raptum dextra phlegethontis ab undis
Amphitryoniaden, sæuamq; è gutture spumam,
Ac uomuisse canem succos è faucibus atros.
quos tellure satos fuderunt pontica rura,
Et peperere feram pestem mortalibus ægris.
Proxima Bithyni calcant tum rura feraces,
Aruaq; frugifero uertunt fœlitia campo.
Hic ubi per ripas irrorat flumen amœnas
Gramen, & hinc ponti celebris subit hostia Rhebas,
Rhebas, qui flectit spetiosa fluenta per arua,
Cuius & in terris pulcherrima ducitur unda.
Lata tenent ponti tot circum rura coloni.
Sit satis hoc Scythicas retulisse in carmine gentes.
Iamq; Asiæ referam positæ spatia æquora iuxta,
quæ sublime notos uersus petit ardua uentos.
Pars Hellesponti breuior stat littora circum.
Latior extensis pars altera ducitur aruis
Ad tumidos fluctus Aegei littoris undæ,
qua uenit aura noti Tritonidos acta palude.

Quaq; illa est uariis iterum longissima terris,
Usq; ad Idumæas Syriç protenditur oras,
Inde Palestinen,& Arabica ruris amœni
Prata,Sed hic Asiæ primis Chalcidees aruis
Candida rura tenent salsi iuxta hostia ponti.
Et terras spectant Bisantia mœnia contra.
Tunc quoq; Bebrytii,tunc montes Mysidos oræ,
Qua iucunda Cius demittit flumina campis.
Cuius Hylan ripis liquidas detraxit in undas
Naiadum turba residens ad flumina nympha
Herculeum quondam pagasæa puppe ministrum
Alcidç ingentis teneros deflentis amores.
Angulus immensus post hunc procurrit in Helles
Æquora,qui Phrygiæ complectitur arua minoris.
Altera tum sequitur latos extensa per agros
Sangarii ripis manantia flumina circum,
Quæ maior Phrygia est roseos orientis ad ignes.
quæ quoq; fertur equis inducere pascua ruris,
Et proferre soli flauentes pinguis aristas.
Hesperiam uersus uideas & prata minoris,
Et Phrygiæ saltus sigeia littora circum
Quæ iacet ad sacri radices nobilis Idæ,
Et latus ostentat,uentosaq; mœnia Troiæ
Ilion,& longo clarissima Pergama bello,
Ilion excelsas priscis Heroibus arces,
Ilios urbs quondam Neptuno & condita phœbo.
Ilios urbs quondam Iunone & Pallade uersa
Ad latos xanthi fluxus & florida rura.
Idçiq; citas Troiæ Simoentis ad undas.
Post quoq; frugiferis emittitur Aeolis aruis,

Aeolidosq; nitente tum culmina celsa domorum
Littus ad Aegei, subeuntis & hostia ponti
Alta super fluctus ingentes æquoris Helles.
Et iuxta nitidos exercent Iones agros,
Ac uicina mari uiridaria læta frequentant.
Per medios populos fertur Mœandrus aquosus,
Fœtiferoq; rigat camporum uortice tractus,
Arua secans inter Mileti & rura prienes.
Plus tamen ad Boreæ submissas flamen utrisq;
Aequoreas Ephesi sedes, urbemq; Dianę,
quæ gaudet iaculis arcus, pharetraq;, uideres
Marmoreos iuxta surgentia mœnia fluctus.
Hic ubi Amazonides posuerunt templa Dianæ
Vlmi non unquam periturę robore celso
Nobile gentis opus, toti miracula mundo.
Huic quoq; mœoniæ tellus contermina floret.
Vitiferi uentis nuda sub rupe Timoli.
Vnde sonat campis fluuio delapsus amœno,
Auriferasq; trahit diues pactolus arenas,
Atq; secat fluctu Bachi uineta sonoro.
Cuius ad herbosas ripas si sederis unquam,
Cum uer rure nouos flores & fundit achantos,
Mulcebunt aures modulantes carmina Cygni;
Et dulci circum fluuios hic uoce canentes,
Qui nemorum syluis errant, & gramine leto,
Pascua dum quęrunt umbrosis saltibus herbas.
Multa Asiæ nitidas florescunt prata per oras,
Præcipue uiolis, & odoris floribus arua
Arua uirent, ubi curuatas Mœandrus amœnus
Flectit aquas lusu, qua mollior unda Caystri

Perstrepit, & tacito riuos è fonte loquaces
Vitrea lympha ciet, uiridiq; immurmurat aruo.
Hic ruit in festos cultissima fœmina ludos.
Iuditiumq; tuum Nympharum culta moretur
Copia, quæ circa terras sedesq; beatas
Læta choros ducit nitido circumdata lymbo,
Atq; sinus circum nodo collecta fluentes,
Aureaq; egregios innectit fibula lumbos.
Arte salit dulci, miro reuoluta sub orbe,
Dum saltat festo Bachi, plauditq; choreas.
Matronasq; inter formosæ uirginis ora,
Et nitidę nymphæ primæuo flore iuuentę
Alternis ludunt pedibus, saltantq; iocosę.
Ceu saliunt fœtus ceruorum fronde sub alta.
Ast agitat uentus saltantis in ora puellæ
A pedibus pallas reuolutas pectora circum,
Cordaq; dulce strepens pertentat amabilis aura,
Dum mouet à suris, & suaues corpore uestes.
Gens studium hoc, uenerisq; imitatur Lydia mores.
Lytius hinc populus campos arat æquora iuxta
Ad uirides ripas & amœna per arua sonoras,
Quas bene iungit aqua Xanthus pulcherrimus amnis.
Hic quoq; pręcipitis montana cacumina Tauri
Vsq; ad Pamphylios liquidas tolluntur in auras,
Fama Cragon gentis uerso cognomine dixit.
Hos super æquoream uideas & mœnibus urbem
Aspendon fluuii claram Eurymedontis ad undam,
Sacra Dioneæ faciunt ubi sanguine matri,
Et spargunt aras portis de more litatis.
Iamq; aliæ deinceps surgunt Pamphylides urbes,

Corycus, Pergeq́;, & uentis celsa Phaselis,
Quę maris arcet aquas, atq; inde Lycaones arua
Interiora tenent eoo subdita phœbo
Arma manu, telum'q́; arcu torquere periti.
Pisidæq́; super populi, campiq́; feraces,
Atq; urbes circum fluuios, Termessus, & agris
Lyrbe, & Amyclęis quondam fundata colonis
Pamphyliæ terra claro cognomine Selga.
Inde uado torto radiis curuatur eois,
Interiusq; petit littus circumfluus humor
Vndosi Euxini spatiis uicinus iniquis,
Aequore qua populos Cilicum sinus alluit alto.
Longus in auroram, terrę́q; angustia fertur
Asidos, huc mergunt numerosa fluenta liquores,
Longinquisq́; locis uoluuntur in æquora fluctus,
Et Pyrami, Pinariq́;, et Cydni flumina curui
Qui mediam celebris Tarsum perlabitur urbem
Egregiam pinnis, ubi quondam Pægase clara
Vngula lapsa tibi nomen famamq́; reliquit
Mœnibus, & tergo tandem tibi decidit Heros
Bellorophon, cursuq́; cito Iouis astra petebas.
Illeq́; per campos cognominis ibat Aleios
Solus, & errabat tacite secreta per arua.
Quin aliæ plures Cilicum cum mœnibus urbes
Lyrnesus, Malusq; atq; Anchialeia, Soliq́;,
Hæ mediis terris, illę prope littora ponti,
Quem iuxta pratis regio Comagena uirescit
Hinc urbes Syriæ pariter sub littore curuo,
Quod circum Syriam longis obducitur undis,
In Zephyros cano deflectitur æquore tractus

Vsq; ad aquas Aradi,& Casii iuga celsa uadosi
Quod restat, reliqui facili deducta labore
Rura asię tractus, & scribam mœnia uersu.
Tu modo disce libens, atq; hæc mea fígito dicta,
Ne rapiant uenti monitus, uerrantq; per auras,
Et pereat rebus tam clari gratia facti,
Neu ferat in nubes ignauia uerba magistri,
Et uigiles operum noctes, damnetue labores.
Quod si forte breuis compendia nostra sequutus
Ipse uiæ ambages, longi & dispendia callis
Vitas, & recte meditaris carminis orsus,
Eloquio argutas tum tu depromere uoces,
Atq; aliis docta poteris ratione referre
Et fluuios, urbesq; situ, terrasq; sub orbe
Quaslibet, & vulgus pendebit ab ore loquentis.
Quatuor ergo Asiæ ponam latera ultima terræ,
Hæc Asiæ toti monstrata figura patebit,
Quę radios uersus longis procurrit eoos
Vsq; uolans campis, distendit & ęquore rura.
Nec latet, utq; reor, prius ipse hæc aure fideli
Hausisti, retuli nuper tibi carmine dicto.
Vt tibi plana Asiæ medium secat æquora culmen,
Ac totum tractum partes tibi findit in ambas,
Vsq; nigros donec syluis extenditur Indos,
Vnius lateris dirimit Borealius arua.
Sed latus Hesperium Nilus regnator aquarum
Præbet, & Oceanus contra latus urget eoum
Indicus, hinc auster quartum tenet æquore rubro.
Aspice ut ipse pedes tendam telluris eoę
Ad nitidos campos roseas orientis in oras.

quis

Iuxta radices montis pressaq; sub ora.
Et Syria incipiam, namq; hic uestigia pressi.
Sed tamen ut nostros ne quis reprehenderet ausus,
Rideretue meæ ueluti mendatia uocis,
Palladia doctus ceu Dædalus arte cauebo.
Iam Syria extendit, sese propiusq; supraq;
Aequor, & accessit proserpens littora circum,
Seq; notos uersus uentosq; inclinat eoos,
Turrigeras urbes, fœcundaq; mœnibus arua
Ostentat circum tectis sibi diues amœnis,
Ergo cauam Syriam prisco cognomine dicunt.
Namq; humilem medios cingunt iuga bina per agros,
Atq; actis circum montes radicibus obstant
Hesperium Casii, Lybaniq; cacumen eoum.
Hanc habitant multi celebres opibusq; decori:
Quis tamen haud unum nomen sedesq; recepta.
Sed passim Syriæ campis habitatur utrinq;.
Interiora tamen terræ medioq; frequentant
Rure domos Syrii, nam sic regione uocantur.
Qui prope Nereidum fluctus, atq; æquoris undas
Littus arant, patrio phœnices nomine dicti
Gentis Erythrææ, & ueteri de stirpe creati.
qui primum uisis tentarunt nauibus æquor,
Iusseruntq; citas decurrere gurgite pinus,
Et uarias merces portarunt puppibus altis
Ausi fluctisono tractare negotia ponto,
Astrorumq; uias primi, cœliq; meatus,
Obscurumq; uadis iter inuenere per undam.
Spectaruntq; uago labentia sydera cursu,
Stelligerosq; globos, arcanaq; fata deorum.

quia

Quiq; Iopen, Gazamq; colunt, & Elaida celsam,
Et Tyron antiquam, Berytiq; arua uirentis,
Ac Byblon æquoream, Sidonaq; floribus udam,
Quæ prope Bostreni riuos habitatur amœnos,
Quiq; tenent Marati muros, Tripolimq; feracem.
Spectantisq; arces Orthosidos æquore celso.
Laodicesq; lares spumoso littore ponti.
Et posideam Neptunia mœnia sedem.
Et sacras ualles Daphnes lucosq; sonantes.
Antiochiq; simul magni de nomine regis
Antiochea patet, mediisq; Apamea sub agris,
Cuius ad auroram decurrens flumen Orontes
Antiochi medias immensum diuidit oras
Totaq; pinguis humus circum flauentibus aruis
Et campis ridens, & amœnis rosida riuis.
Præbet ibi segetes, illic quoq; fertilis herbas,
Pascere diues oues, & tollere in arbore fructus.
Inde uel ulterius si forsitan rueris austros
Aestiferos uersus, qua semita celsior urget
Arrabicosq; sinus, panchaiaq; littora cernes,
Aequoraq; undoso circum postrema recessu.
Qui medius Syriæ littusq;, Arabosq; propinquos
Alluit Arrabiæ campo uernantis amœno
Versus ad auroram breuiter, iuxtaq; Selanos
Sistit iter, tunc terra Arabum inclinata recumbit,
Qui bene fœlices habitant fœlicibus aruis,
Ardua se tollens duplici circumdata ponto
Persico, & Arrabico, uentos possedit uterq;
Arrabicus Zephyrum, flatus quoq; Persicus Euri.
Ora sed australis radiis occurrit Eois,

Quæ quoq; Erythræis Arabas ditantis ab undis
Oceani abluitur terræ, iam carmine dicam,
Arrabiæ positus, fructu super eminet omnes.
Gens prælara tenet rebusq; opibusq; superba.
Præterea Arrabię uideas miracula terræ.
Nam nitet insignis diuorum munere tellus,
Floribus atq; herbis hæc semper fragrat odoris,
Et rident ruris per pictos gramina campos,
Suauiter & ramis redolent frondosa rubeta.
Seu nitidi floris, seu Myrhæ effundit odores.
Seu uirides succi bene olentis arundinis halant.
Seu maturescit Libani diuinitus arbor.
Seu quoq; odorata casia redolentia rura
Pinguntur, longe nautis sparguntur odores.
Nimirum his soluit Dionyson Iuppiter oris,
Sutilis & plaga femoris prægnante refudit.
Nascentiq; simul uarii nascuntur odores.
Lanigeræ pecudes densi quoq; uelleris ibant.
Densus & ipse aries carpebat suaue rubentis
Floris agros ouibus lætæ per pascua uallis.
Sponte lacus ibant pariter rorantibus undis,
Et pictæ uolucres alia de parte uolabant
Sublapsæ uiridis deserta per æquoris arua,
Floret inaccessis ubi crebrior insula campis
Inde ferunt frondes pedibus cinamoma sequutæ
Non deserturos fruticis spirantis odores.
Ast humeros Bachus syluestri pelle nitentes
Hinulei indutus uentis dat colla, comasq;.
Atq; Hedera crines nitidos florente Corymbis
Cinxit, & intortas foliis concusserat hastas.

Pampineosq́; mero madidus tum sumere Thyrsos
Iusserat, & uini turba ridebat amœna.
Diuitiasq́; soli magnas effudit arenis,
His quoq; sparsit opes circum dum saltat in aruis.
Nunc etiam Arrabiæ ditescit odoribus ora,
Totaq́; thuriferas circum panchaia frondes
Sustinet, & syluis halant ibi thura Sabæa.
Ac palmis uirides frondescunt mollibus agri.
Et iuga flauescunt de celsis montibus auro.
Parte alia fluuius flores irrorat odoros,
Humectatq́; suas deductus riuulus herbas.
Thuriferas circum spirant & flumina ripas.
Vsq; adeo pingues aruis tenet incola glebas.
Auratoq́; uenit circumdata fœmina peplo,
Et trahit eximias spetioso corpore pallas.
Atq; uiri pariter molli cum ueste decori
Luxuriantur agris, & splendida compita circum.
Sed Libano decliue iugum quoq; diuitis arui
Regis arant priscæ Nabathæo nomine gentes.
Et prope Chablasii, & amœnis Agrees aruis.
Tum contra Eoas habitatur Chatramis oras
Persidos. At rubris calcant latus æquoris undis
Minnæiq́;, Sabæ, & proxima rura Sabęis
Et sua prata domant Cletabeni fœta ligone.
Arrabiæ celebres populi tot rura frequentant.
Cum alii plures numerosa per arua coloni.
Diffusis Arabum patet undiq; maxima campis
Terra, nec uberibus fructus concesserit ulli.
Deinde tamen sterilis surgit trans æquora tellus.
Qua Zephyri molles mittunt sua flamina terris.

Hic habitant saxis latebrosum littus Erembi,
Obscurasq; iugis, & celso monte cauernas.
Nam uitam nudi defosso in pumice degunt,
Atq; inopes rerum propria sine sede uagantur.
Nigra illis facies & siccum corpus adusta,
Errant huc illuc miseri de more ferarum.
At non sic Arabes transmittunt tempora molles.
Quis sunt delitiæ, & uitæ fœlitior usus.
Vsq; adeo rerum non æqua sorte creauit
Vitam hominum, nec opes deus omnibus ipse reponit.
Iamq; super Libanum, qua sol spectatur Eous,
Alterius Syriæ maior producitur ora,
Donec ad undosæ se iungat rura Sinopes.
Huius & in mediis latæ telluris arenis
Cappadoces habitant insignes arte regendi
Quadrupedes, gyro celeres & uertere terga,
Post etiam Assyrii cani prope gurgitis æquor.
Rura tenent celebris iuxta hostia Thermodoontis.
Auroram uersus summis de montibus unda
Fluminis Eufratæ spumante crepidine currit,
Armeniisq; iugis primum secat acta sub austros
Longior, at rursus tepidas orientis ad auras
Flectitur, & mediam tandem Babylona recepta
Perfluit, ac celeres eructat in æquora spumas,
Persarumq; Salo, atq; æstu miscetur amaro,
Extremisq; uadis allapsa Teredonis aruis
Influit æquoreos mananti gurgite cursus.
Post hunc ad radios Tigris descendit Eoos
Vortice spumescens quoq; uelocissimus alto.
Quem non ulla fuga uolucris prævertitur unda.

Delitiatus aquis exultat Tigris amœnis,
Aequalemq; sibi cursum contendit eundo.
Is quoq; tam longe procurrit fonte seorsum,
Quantum prçcinctus septena luce uiator
Iuerit haud ægra celerans uestigia planta.
Quinetiam est mediæ circumflua lympha paludis
Dictaq; Thonitis, cuius se uoluit in ima
Tigris, & undarum sua miscuit ora recessu,
Stagnantum fluuiis inferne mersus aquarum.
Mox tamen egrediens iterum fluit agmine Tigris
Ocyor, & rapidos demittit gurgite fluctus
Quo non est alter fluuius uelocior undis.
Nec magis ulla fluunt commoto flumina cursu.
Quæcumq; Eufratem atq; inter Tigrin aratur
Tellus, uicinis Mesepotamia colonis
Fertur, ubi media undisonos inter iacet amnes.
Cuius non ullus rideret læta bubulcus
Pascua, nec pinguis damnaret pabula campi
Pastor, qui iunctis solitus resonare cicutis
Capripedis panos numen ueneratur agreste,
Rustica florigero dum pascit ouilia rure.
Nec Sator arguerit uiridis plantaria fructus,
Aut resonis horti circum pomaria riuis.
Materiesq; iugis uarias, arbustaq; syluæ
Laudet, & extollat cantu frondator amœno,
Talis inest aruis adeo cultura serenis,
Quæ simul irrigua florescunt graminis herba,
Et pingunt nitido sibi florida prata colore,
Irrorantq; suis humentia pascua cliuis.
Hçc etiam fœlix pulcherrima corpora tellus.

Producit uultu, formaq; simillima diuis.
Post hanc pingue solum uertunt Aquilonis ad auras
Armenii, & longis Matieni cominus hastis
Pugnaces habitant populi sub montibus altis.
Antecitos fluctus Eufratę fluminis undis,
Atq; idem pingues exercent uomere colles,
Diuitiisq; tument, & sæuo Marte periti
Confecisse manu bellum, pugnasq; feroces.
Inde notos uersus Babylon nitet arcibus, & quam
Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem;
Mœnibus infractis narratur & oppida bellis
Muniuisse manu, monimentaq; regia Belo
Imposuisse uiro, & summa super arce locasse
Auroq;, argentoq; simul sectoq; elephanto
Culta procul rosei flammis radiantia solis.
Planitiesq; patet, partesq; uidetur in omnes.
Hic ubi palmarum dependet frondibus arbor,
Atq; alti frutices circum phœnicis amœnę,
Et densis ramus palmis frondescit in aruis.
Hæc quoq; fert aliud nitido pretiosius auro
Berylli uirides aqueæ gemmante lapillos
Splendore in tumulo atq; Ophietide rupe repertos.
At Babylona super pluuias Aquilonis ad auras
Cissi, Messabatæ, Chalonitæq; frequentant
Arua. Sed Armenii si deseris ardua montis,
Atq; uiam ire paras pręter iuga celsa sub ortus,
Inuenies ualles, & medica rura, nemusq;
Qua Boream uersus per florida prata leguntur,
Et Geri, Mardiq;, simul gens Atropatena.
Hinc quoq; Medorum populi tenduntur ad austros

Clæra Aeætiados quondam de stirpe creati
Illustris factis, & nobilis Heroines.
Actæis olim rippis spumantis Ilissi
Sederat, & forsan sæuis aconita uenenis
Hic Pandionidæ dira inter pocula dextra
Miscuerat tristis crudelia munera mensæ,
Victa pudore locum fugiens Medæa recessit,
Huc illuc tandem uariis erroribus acta
Contigit illa suo dictam de nomine terram.
Non procul à Colchis, quanquam non attigit oras
Colchiacas, nec enim licuit, patris horruit iras.
Nunc quoque lætiferis tractant mala gramina succis,
Quis coliturlatis proauita potentia campis.
Ad petras alii Medorum, & saxa fragosa,
Quæ Narcissiton gignunt sine lumine gemmam.
Ast alii inter aquas, & amœna uireta uagantur,
Gramineosque locos errant, atque inter odores.
Vndique florigeris arui cinguntur ab herbis.
qua pascuntur oues nitidæ per pascua campi
Lanigeræ pecudes et pulchro uellere densæ.
Eoos adeo phœbi uertuntur ad ortus,
Qua non una iugis celsis prope Caspia porta
Visitur, & sese tollit sub ruppibus altis
Claustra Asiæ terræ fama memorata per orbem.
qua se uertit iter bina regione uiarum,
Seu uersus gelidas auras Aquilonis ituris,
Siue uiam contra pluuios carpentibus austros,
Seu quoque ad Hyrcanos, montanaque Persidos oræ.
Extrema Parthi crudeli Marte feroces
Caspiadum inferius portarum rupe frequentant.

Tecta, quibus feruor belli laudumq; Cupido,
Et neruo celeres intendere fune sagittas
Et docti pugnas, lachrymosaq; bella gerendi
Arte, manuq; fera, & pugnant præstantibus armis.
Nec sulcant agros, nec findunt littus aratris.
Nulla secant motis in puppibus æquora tonsis.
Nulla boum irriguas pascunt armenta per herbas.
Et teneris arcus pueri meditantur ab annis;
Et neruo volucres torquent stridente sagittas
Quadrupedumq; hȩrent tergo cursuq; fatigant,
Horum terra strepit teli iaculiq; fragore;
Vndiq; missilibus per prata sonora resultat.
Et tremit in cursu properantum campus equorum,
Qui pedibus ueluti rapiuntur rure procella
Nec licet ante cibos iuueni cepisse decoro
Quàm sæui martis pugna belliq; labore
Aspersus fuerit sudantem puluere frontem,
Conuectare iuuat prædas & uiuere rapto,
Syluarumq; leuem uenatu quærere uictum,
Nutririq; ferox quas abstulit hasta, rapinis.
Sed quanq̃ indomitos & diro marte frementes
Inuicta Ausonius regnator cuspide fregit,
Iam si fert animus persarum noscere gentes,
Et tantæ forsan dulcedine duceris artis,
Et genus hoc chartis aduerte docebo disertis,
Ac iuga celsa canam tractu fluuiosq; perennes.
Soli inter populos Asiæ gens regia persæ
Et ueterum priscis memorata potentia regnis
Accumulauit opes patriasq; redegit in aulas
Mœonię populata domos, & Sardias arces

Deiecit, lætis sonuit uictoria pennis.
Arma uirum nitidis splendescunt aurea membris,
Aurea frena ferox sonipes spumante sub ore
Mandit, & auratis populus talaribus intrat,
Diuitiis adeo exuperant opibusq; superbis.
Persica sit facito circumdata montibus ora.
Tendit iter magis ad furiosos flatibus austros
Caspiadum a portis & Amazonis arce recedens,
Quodq; suum nomen seruat porrecta sub æquor
Alluitur patriis prope littora curua procellis.
Se secat in ternas sedes habitabilis oras;
Vna tamen secum uariis diuisa colonis.
Ergo sub Arcadicas ursas septemq; triones
Rura tenent alii Medorum subdita celsis
Montibus umbrarum frigus præbentibus aruo,
Qui gestant arcus telis pharetramq; sonantem.
Hi medio terræ, illi hinc ęquor ad usq; uadosum
Ad proxiora noti tendunt se flamina campis.
Prima Sabæ rastris, post rura pasargada uertit,
Tum prope culta tenent etiam uiridaria Tasci.
Et qui rura colunt diuisaq; persidos arua.
Læta rigat campos qua flumina gurgite pingui
Huc illuc per agros curuis errantia riuis.
Hinc Corus exuperans illinc montana Choaspis
Vnda secat fluctus, deuoluitur indicus humor,
Susaq; Persarum diues præterfluit arua.
Illius ad rippas gemmas uariantis Achatæ
Signa, uelut nudo Cylindrum rure iacentem
Aspitias, summa quæ uoluit rupe fragosus
Per valles resonans hyberno flumine torrens.
Hic etiam suaui mitescunt flumine fructus

Condensi'q; uirent ac rident omnia campis.
Respice iam reliquos tractus Asiatidos oræ,
Qua uenit in roseis nascens aurora quadrigis,
Est iuxta extremæ persarum terminus oræ,
Atq; prope oceani fluctus, & persidos æstum
Sub matutino Carmani sole tepescunt
Nec tamen a persis disiuncti rure colonis.
Nam circa binis habitarunt oppida terris.
Hi ponti littus circumq; supraq; frequentant.
Ast illi in medio posuere cubilia terræ.
Inde sub auroram Gedrosia tenditur ora,
Quæ iuxta oceanum uidet ire per ęquora cetos
Immanes circum, balenarumq; prementem
Terga iugis alto Neptunum gurgite ponti.
Deinde Scythæ propius degunt orientis in aruis
Iuxta Indi fontes nimis inclinantur in austros,
Verum Indus ponti resonat contra ęquora rubri.
qua rapidus spumat non se capiente liquore.
Et recte tumidos fluctus contorquet ad austrum.
Ca ucaseis oritur primum de montibus altis.
Binaq; diducens Nysæis hostia campis,
Quorum intra liquidas circum fluit insula ripas
Insula quam claro patalenen nomine dicunt,
Innumeras indus dirimit quoq; flumine gente,
Nempe sub occiduum qua se Titana remittit
Terra situm montis iuxta iuga paropanesi,
Oretasq;, Arabasq;, atq; uno nomine dictos
Barbaricas gentes Arianos atq; Arachosa
Non usquam glebæ sulcantes arua feracis,
Sed tantum siccas calcant telluris arenas,
Oppletumq; solum sentes, spinetaq; claudunt,

Et densis circum uirgulta sonantia syluis.
Suppeditat tamen his uitæ non dignior usus
Pręmia sufficiens tellus optata labori,
Donat opes alias siquidem non indiga rerum,
Æternumq; refert mansuro munere uictum.
Vndiq; Coraliis gemmę rutilantibus ardent.
Quas pariunt uenæ passim sub rupibus atræ;
Laminaq; emittit flammas aurata Saphiri,
Cœruleosq; refert inter lapis ipse colores,
Qui inter coralium pariter splendescit arena.
Has igitur scindunt gemmas nitidosq; lapillos
Ac pendunt pretium,uitęq; alimenta ministrant.
Tum quoq; coraliis rubeis natura remansit,
Aerioq; nites pretiose Saphyræ colore,
Auriferis lapides miscesq; corallia gemmis.
Ad matutinas phœbi surgentis arenas,
Tunc aperit uirides agros,camposq; patentes
Læta situ nitidis & amabilis aruis
Cunctarumq; orbis terrarum extrema recessum
Indorum oceani tellus prope littora curua.
Quam primum incendit Titan ardentibus astris,
Cum ueniens reuehit Diuumq; hominumq; labores.
Sunt igitur terræ nigri,fusciq; coloni
Vncta modis oleo labenti corpora miris.
Cœruleasq; ferunt,capiti similesq; Hyacintho
Pingue comas tinctas,crinemq; liquore madentem.
Hic alii effodiunt auri primordia uenis.
Exquiruntur opes iturq; in uiscera terræ,
Vnde cauant glebas,& frusta nitentis arenæ
Ac fodiunt curua ruptura ligone cauernis
Æra. Alii laudant telas,ac linea texta.

Pars niueos radit dentes sectumq; elephantum.
Pars petit & fluuii cursus, & marginis undas
Sicubi Berylli gemmas nitidumq; Adamanta;
Seu pellucentem fului splendoris Iaspim,
Seu pura ignitos lapides quoq; luce Topazi.
Siue Amethysson aquas imitatum suaue rubentem
Inueniat. Tot flumen opes, tot rura recondunt.
Irriguumq; solum fluuiis riuoq; perenni.
Vdaq; terra uiget circum liquentibus undis.
Hic tibi prata comis, hic floribus arua uirescunt.
Crescit agris illic miliumq; lobæq; racemi,
Vnde rubente procul frondescit arundine sylua.
Iamq; aduerte, tibi formam Gangetidos oræ
Et fluuios montesq; canam, pulsataq; uentis
Culmina, Dehinc populos, habitataq; mœnia terris.
Quattuor ad latera est tellus porrecta suprema,
Cuncta per obliquas tamen hæc producit arenas;
In spetiem Rhombi sese formauit ubiq;.
Hesperiis Indus primum conterminus undis,
Diuidit, & fluuio terras se iungit eoas.
Mox australe latus rubri prope gurgitis ęstus
Excipit. At Ganges aurorę separat undas.
Ipse Lycaonias accedit Caucasus ursas.
Hæc degunt intra densæ latera ardua gentes,
Ac numerosa soli locupletes arua frequentant
Vnius terræ uario sed nomine dictæ.
Discretę siquidem sedes habitantur utrinq;.
Dardanees Indum primi prope flumen aquosum.
Hic ubi Cornigerum manantem rupibus altis
Veliuolis undis Acesinen lambit Hydaspes,
Ac recipit curuas in sese fluminis oras.

Tertius hinc serpit Cophes argentifer amnis.
Quos inter colit alta Sabeq́;, & Toxilus arua,
Et Scothii deinceps, gentesq́; sequuntnr agrestes
Peucaleum, post hos Dionysi feruida pubes
Gargaridæ sacri, nitidas qua uoluit arenas
Auriferas implens pretioso gurgite ripas
Hinc Hypanis uehemens, illinc undosa Megarsi
Ripa furit, quorum rapidus non impetus ulli
Viribus atq́; ęstu sæuo concesserit amni,
E medi celso labuntur flumina monte,
Et latis circum rapiuntur concita campis
Ipse Megarsus, & ipse Hypanis Gangetidos orę,
Inde notos uersus flectuntur Colidos oræ
Circa extrema iugo, & curuato gurgite rura,
Montis inaccessis auibus quæ surgit eois
Culminibus summi Colchorum terra remota,
Oceaniq́; latus porrecta inclinat in æquor,
Vnde solum gentis dixerunt nomine aornon.
Est locus ad Gangem, pulchras Gangetis & undas,
Quiq́; situ miro prætendit florida prata,
Relligione sacer, uenerandus & omine lęto.
Cuius & iratus quondam calcauit arenas
Bachus, ubi Thyadum molles in scuta ferocis
Martis, & in clypeos, medios umbonis & orbes
Nebrides, & pelles ceruorum corpore iunctæ
Ibant in ferrum, Thyrsiq́;, & mollior hasta
Concita pugnabat, seseq́; in terga draconum
Cingula mutabant, hederæq́; horrente corymbo,
Sic apium lentum, sic curuis Pampinus hastis.
Cum Bachi quondam temerassent festa choræis,
Et temere nati risissent sacra tonante.

Hinc quoque Nyssæam pugnam, Nyssæaque castra,
Nyssæumque simul dixerunt nomine bellum.
Fecit iter Bachus quòd quondam Gangis ad arua,
Atque Indis Martis simul intulit arma superbis.
Rite tamen coluit posthac gens orgia Bachi,
Et cum prole sua celebrarunt festa choreis.
Vtque nigros populos indorum marte subegit,
E modiique iugis superauerat ardua montis
Victor ouans circum, quorum sub uertice late
Ingens oceani fluctus feruescit eoi,
Hic statuit solido binas ex ære columnas
Iuxta deuictæ Gangetidos ultima terræ
Littora, dehinc lætus uincenti laude triumphum
Ad patrias duxit plaudenti flumine ripas
Ismeni uictor curru spectatus in alto.
Totque adeo gentes habitant hæc arua supremæ.
Deniq; uel terras uel littora curua pererrant
Innumeri populi Zephyriique & gentis eoę.
Quos adeo certe nunquam narrauerit ullus
Mortalis. Nam sola potest hoc turba deorum.
Vos dii uos nostis, uos & memorare potestis.
Vos orbem terræ, uos & primordia mundi,
Atque globum cœli duxistis & omnia circo,
Syderaque, & stellas ignis, fecistis & illas,
quas caninus gentes, & celsi gurgitis undas,
Et quę sine carent Neptunia regna per æquor,
Oceanumque uadis immensum littora ctrcum.
Ostendistis iter, qua tenderet ardua rerum,
Et sine fine uia, & qua magnus uorticis æstus
Iret, & ad metas uix unquam tenderet ullas.
Vos stabilem rerum faciem, uos organa uitæ,

Atq; elementa dei, signastis & ætheris ignes,
Et uos astra suo iussistis currere motu,
Et pariter uolui resonantibus orbibus axis.
Vt regerent adeo uos inferiora supernis
Sorte datis uos ut uires quoq; singula cælo
Demittant terris late & super æquora ponti.
Sors astris igitur terræ concessa marisq;.
Quælibet ergo sui naturam sustinet astris,
Et sortitur humus pariter, uariataq; rerum
Forma subest, Hæc alba, & candida terra relucet.
Nigrior illa tamen, speciesq; hæc præbet utrasq;.
Deinde alia Assyriæ miniiq; rubore uidetur,
Et similis rubeis peregrini floribus arui.
Deniq; diuersis aliæ sua rura colorum
Depingunt rebus, sic magnus Iuppiter egit.
Sic alterna uiget semper natura per orbem,
Et diuersa dedit meta mortalibus una
Vos uero terræ uos mœnia nota ualete;
Tuq; uale æquoreo memorabilis insula ponto,
Et quecunq; mari fundastis littora glebæ.
Vos undæ oceani, sacriq; sub æquore fluctus,
Et fluuii, & fontes gelidi, & iuga celsa ualete.
Vos etiam montes, saltus, uallesq; recuruæ,
Vos umbræ nemorum, & syluæ, & spinetaualete.
Nam iam totius penetraui littora ponti,
Perq; mare, oceaniq; uias, æstusq; cucurri,
Atq; omnis terræ positus, curuosq; meatus.
Vos grates tantum cælitia numina cæli
Dignas ferte mihi, uos præmia digna laborum.

Venetiis per Bartholomeum cognomento Imperatorem: &
Franciscum eius generum. Anno M. D. XLIII.